

A B

~~V. Guhrauer~~  
Trenden, 16 dec.  
1833

XII, 106 ae

I  
Ca  
Ca  
her  
et  
psi  
Lip



Hoc Volumine continentur

I. Petri Cutsemii Saxonica

Catholica: Col. Agr. 1621.

II. Ejusdem Apologia pro Saxonica

Catholica: Ibidem 1623.

III. Balthasaris Menciai Sex Iti-  
nera Saxonie Ducum in Italiam  
et Palestinam suscepta: Witeb. 1612.

IV. Valentini Hartungi Epita-  
phia Saxonie Ducum quatuor:  
Lipfia 1614.

In Bibliotheca 2<sup>ae</sup> Hauptstadt zu Leipzig  
Saxonia Evangelica & Apologia  
des Balthasar Menciai & Hartungi  
George I.

S

C  
S

SI

PE



SAXONIA  
CATHOLICA,

HOC EST

CHRISTIANÆ FIDEI, QUAM AD  
SALVTEM ANIMARVM AVITI AVGVSTÆ  
DOMVS SAXONICAE PRINCIPES, RE-  
ges, & Imperatores coluerunt,

GLORIOSA CONFESSIO:

In gratiam, & honorem Inelytæ Natio-  
nis Saxonicae

AD

SERENISSIMVM, & POTENTISSIMVM PRIN-  
cipem, Saxoniae Electorem, Dominum IOHAN-  
NEM GEORGIVM, &c. tam humiliter,  
quam fideliter conscripta

à

PETRO CVTSEMIO, SS. Th. DOCTORE, ET  
*illustris Collegiatæ Ecclesiæ S. Gereonis Colonia Chori-epi-  
scopo, & presbytero Canonico.*



H B V G

COLONIAE AGRIPPINAE,  
Sumptibus BERNARDI GVALTERI,  
ANNO M. DC. XXI.

STANLEY  
CATALOG

CHRISTIAN  
LIBRARY  
OF THE  
UNIVERSITY OF  
TORONTO



LIBRARY OF THE  
UNIVERSITY OF TORONTO

LIBRARY OF THE  
UNIVERSITY OF TORONTO



<sup>i</sup>  
SERENISSIMO,  
ET REVERENDISSIMO

PRINCIPI, AC DOMINO,  
DOMINO

FERDINANDO AR.

CHIEPISCOPO COLONIENSIS, S. R.

*Imp. per Italiam Archicancellario. & Principi Ele-  
ctori. Episcopo Paderbornensi, Leodiensi ac Mona-  
steriensi; Administratori Hildesheimensi & Berch-  
tesgateni; Principi Stabulensi Comiti Palatino  
Rheni; Duci utriusq; Bauariae & Westphaliae, Anga-  
riae & Bullionis; Marchioni Francimontensi Co-  
miti Loffensi, Longiensi, & Horneri. &c.*

*Principi, ac Domino suo  
Clementissimo.*



SERENISSIME & Reue-  
rendissime Antistes noster,  
Princeps Elector, & Domi-  
ne clementissime. Libel-  
lus hic qui non tam hono-  
ribus, quam saluti apparatus est Serenif-  
simi Principis Electoris & Domini, Do-  
mini Iohannis Georgij, Ducis Saxoniae,  
&c. ut sit, fiatque gratior, ac fructuosior,  
commendatione, ope, & luce Serenita-  
tis Tuæ indiget, quam idcirco ipsi, tan-

A B quam

quam Principi meo, vt de opere, & au-  
 thore prius cognoscat, legendum, ap-  
 probandum, & commendandum inscri-  
 bo, offero, dedico. Causa, & argume-  
 ntū illius est, vt Serenissimus Princeps Ele-  
 ctor Saxonie in eo oculis clarè inspiciat  
 trita rectæ ad celū viæ vestigia, quæ om-  
 nes ipsius laudatissimi Maiores, à VVi-  
 tikindo primo ad fidē Christi miracu-  
 losā Dei Omnipotentis gratiā cōuerso,  
 descendentes Principes, Reges, & Impe-  
 ratores beatissimæ memoriæ fixerunt, ac  
 posuerunt posteris quoq; suis calcanda;  
 & vt iisdē ipse insistens, Principatū post  
 breuē huius caducæ vitæ vsuram in cœ-  
 lesti cum ijs gloria gerat sempiternum.  
 Hoc, Serenissime Princeps, nouerunt  
 omnes, ipse optas sapissimè, desideras  
 vehemētissimè, speras cupidissimè, qui  
 sacrosancto officio Pastor, & Archiepi-  
 scopus omnium salutem ex tota anima  
 concupiscis, eā maximè in Capite mul-  
 torum populorum, quàm libentissimè  
 promoueres, in Principe, inquā, ad fra-  
 tris instar amicissimo, Coelectore, Affi-  
 ne, cognato, & gradibus aliquot retro-  
 uolutis, Amitino. Etenim nō solum in  
 memo-



memoria hæret vtriusq; firmiter, sed &  
 in sanguine indelebiter, omnes, quot-  
 quot Diuina Clemētia nobis in Germa-  
 niæ reliquit superstites Principes Do-  
 mus vtriusque olim ex fratre, & sorore;  
 filio, & filia Augustæ memoriæ D. Lu-  
 douici Bauari in Regē Romanorū An.  
 1314. electi, ex Stephano Duces Bauariæ,  
 ex Mechtilde, Friderici, cognomento  
*Gravis*. Thuringiæ Landgrauij, & Misniæ  
 Marchionis &c. conthorali, Duces Sa-  
 xoniæ stirpis V Vitikindæ oriūdos esse,  
 neq; deesse alia recentiora & mutua in-  
 ter vnus & alterius familiā connubio-  
 rum ad affinitatem, & cognationem fir-  
 mandam exempla. Quare, Serenissime  
 Princeps, Domine clemētissime, sere-  
 na, quòd aiunt, fronte; precor, ac spero,  
 suscipies hunc meum laborem, cona-  
 tumque interpretaberis, ac promoue-  
 bis ex affectu, & amore, quo Principem  
 Coelectorem, de S. R. Imperio optimè  
 merentem, ac meritum, multis modis  
 tibi carissimum, amas, ac iugiter optas  
 cum omnibus Christi fidelibus Catho-  
 licis viuere in S. R. Ecclesia foelicem  
 hic, & beatum in æternum. Et vt ipsius

quoque subditi diuersarum ditionum  
 populi, qui in virtute, ac laude aucto-  
 rum suorum Principum plerumq; glo-  
 riari, ac sibi cōplacere solent, vnā cum  
 Capite, moderno Principe suo, ex le-  
 etione fortè eius hanc eandem, propi-  
 tiantè Deo, foelicitatem consequi pos-  
 sent, sponte, & motu proprio vertit hūc  
 libellum ex Latino in vernaculū idio-  
 ma quidam vir Nobilis Austriacæ de-  
 uotionis, olim Lutheranus, nunc per  
 Dei gratiam à bono tempore Catholi-  
 cus, qui magnam iuuentutis suę partem  
 in Academia VVitebergensi Iurispru-  
 dentia studio detriuit. Vale, & viue pro-  
 sperè, ac feliciter, Serenissime Princeps,  
 Domine longè clemētissime, Ecclesia-  
 stici pariter & sæcularis ordinis Decus  
 splendidissimū. Dabam Colonię, sub le-  
 tis noui huius vigesimi primi supra sex-  
 centesimi, & millesimū anni auspicijs.

*Serenit. Tue*

*Deuotissimus, & humillimus cliens*

*Petrus Cutsemius, SS. Th. Doctor,  
 insignis Collegiatae Ecclesiae D. Ge-  
 reonis Coloniae Choricæpiscopus, &  
 Canonius.*

**SERE-**

SERENISSIMO, POTENTIS-  
simoque Principi ac Domino,

**D. IOHANNI**  
**GEORGIO, S. R. IMP. ARCHL-**  
**MARESCHALLO, ET PRINCIPI ELE-**  
**CTORI SEPTEMVIRO; DVCI SAXO-**  
 niæ, Iuliæ, Cliuiæ, & Montium, &c. Land-  
 grauij Turingiæ, Marchioni Misniæ, Burg-  
 grauci Magdeburgensi &c. Comiti Marcae,  
 Moersæ & Rauensburgi, &c. Domino Ra-  
 uensteinæ, &c. Principi, ac Domino suo cle-  
 mentissimo, precatur à Deo Opt. Max.  
 indignus Petrus Cutsenius  
 sempiternam pacem, &  
 lætitiã.

**SERENISSIME**  
**PRINCEPS ELECTOR, DO-**  
*mine Clementissime.*



O s t belli, armorumque  
 strepitus, post prælia, & vi-  
 ctorias, quasi in triumpho,  
 paruū ecce, Tibi dono do,  
 offeroq; libellum, (magna  
 enim volumina legere tuæ  
 haud facile ferunt occupa-  
 tiones) in quo continetur nihil cōtrouersum,  
 A 4 maledi-

6 SAXONIA CATHOLICA.

maledicum, fucatum, quod legentem intri-  
cet, offendat, fallat; non alio fine, intentione,  
& animo, quàm vt laudatissimis Maiorum  
tuorum (cui enim memoria istorum suorum  
ingrata esse solet?) vestigijs insistens, cum im-  
mortali Regum Rege æternum, post euani-  
dam mortalis vitæ huius gloriam, principatũ  
geras. Hoc, hoc inquam, præsentibus vehe-  
menter exopto, voueo, ac Deum precor, qui  
te in genere humano præ tot millenis milli-  
bus nobilitauit, præ tot nobilibus iustitia  
uit, præ tot illustribus sublimauit, vt pauci  
sint Orbis Christiani Principes, qui non ex  
Saxonum sanguine oriundi olim, & adhuc  
hodie terris imperent.

\* Videatur  
Hieron.  
Héninges,  
in sua Ge-  
neal. Princ.

Non dubito nouisti, & tuos recognoscis  
veteres Saxonie \* Reges, ab Arthario, vel  
Artaricho, qui auxilijs Cassandri Regis Si-  
cambrorum, & Hameri Thuringorum vicit  
Borbistam Regem Gothorum in Saxones ir-  
ruentem, ante natum Christum Ann. Mundi  
3872. ad V Vitikindum vsque cognomento  
Magnum, qui primus fide Christi suscepta, à  
Carolo Magno Ann. Christi 785. bello deui-  
ctus, Dux Saxonie fuit inuestitus: E quorum  
numero Hengistus à Vortigerio, Rege Bri-  
tanno, Scotorum, Pictorumq; armis presso,  
è Germania in Angliam circa Ann. C. 447.  
euocatus Reges Anglo-Saxonum in Cantia,  
& Northumbria procreauit. Vnde adhuc ho-  
die

die in interiore Anglia, quod expertus loquor, lingua, quam vulgus loquitur multum participat de Saxonica, sicuti Londini, & in ingressu Galliam versus, de Francica.

Nouisti item, & lōgè propiūs tuos agnoscis quotquot ex fœcunda Christigenæ prædicti V Vitikindi M. radice fideles postea excreuerunt vtriusque status in Imperio Principes, \* duo summi Pontifices; quinq; Romanorum Reges, & ex his quatuor Imperatores; duodecim sacri Romani Imperij Principes Electores Septemviri, quos inter \* vnus fuit Ecclesiasticus; alijque in, & extra Rom. Imperium tum Ecclesiarū Archiepiscopi, Episcopi, Prelait; tum Prouinciarum Duces, Landgrauij, Marchiones, Burggrauij, &c. absq; numero, quorū plurimi in generationibus suis, in hac rerum mortalitate, decursu temporum defecerunt: nec pauci adhuc hodie rerū potiuntur, nimirum ipsimet Reges Gallix, per sexcentos, & plures aliquot annos, continuā propagatione ab Hugone Capeto, abnepote V Vitikindi III. qui nepos fuit prædicti V Vitikindi I. procreati: E cuius quoque progenie regnauerunt aliquot Græcorum Imperatores Constantinopolitani, multi Reges Thesaliæ, Siciliae, Neapolis, Nauarræ, Hungariæ, Poloniæ, &c. & quotquot illustriores Gallia ex tunc aluit Principū familias, Ducum Burgundiæ, Britaniæ, Aureliæ, Lotharingiæ, Bor-

\* Gregorius V. dictus antea Bruno, Dux Sueuiæ, & Felix V. dictus prius Amedæus, prim<sup>o</sup> Sabaudiæ Dux, quem tamē in hoc tractatu præterimus.  
\* Albertus Ernesti F. Archiepisc, Mog,

boniæ, ad quam gratiâ Dei superstitem, æta-  
te nostrâ regia Liliorum corona iure hæredi-  
tariæ successionis deuoluta est, &c. Reges  
item qui hisce temporibus Dei benefici do-  
minantur Daniæ & Norvvegiæ, ijque ali-  
quando simul Suetiæ, Gothiæ, & Vandalia  
&c. Duces itidem Holfatiæ, Slesuigæ, Stor-  
maria, Vagriæ, Dithmarsia, &c. omnes ab  
eadem radice orti ex antiqua Comitum Al-  
denburgésium stirpe, qui recta linea à V Val-  
perto, V Vitikindi I. nepote genus suum de-  
riuant: Duces quoque Sabaudia, qui & simul  
Principes Pedemontij &c. ab \* Amadæo,  
eiusdem V Valperti ex filio Theodorico ne-  
pote progeniti: quotquot etiam Marchiones  
Montisferrati, Finarij & Saluziarum &c. à  
V Vitikindo IV. dicti Amadæi, vel Im-  
modi fratre, V Vitikindi I. abnepote descen-  
dunt.

\*ab. Immo-  
do.

Iam si inspicere libet Natales, quos fami-  
liarius, & propinquius nosti, domesticos, &  
vicinos Saxonum Principes consanguineos  
in Germania, vnde præcipua orbis Christia-  
ni stemmata pullulant, non vna, sed plures  
diuino munere supersunt sanguinis V Viti-  
kindei familia, in quibus Teutonica antiqui-  
tas, potentia & maiestas mirificè resplendet:  
& in hisce emicat Electoralis Tua, cuius ex-  
cellentia dignitati Regiæ quam proxima est,  
& quam simillima.

Hæc

Hæc est gloria inclytæ Domus Saxonicæ,  
 & benedictio seminis VVitikindi Magni, &  
 primi ad salutiferam fidem Christi conuerſi,  
 qui ſtauis editus Regibus, Reges, & Impera-  
 tores, Regumq; Romanorū Electores Prin-  
 cipes poſt ſe natos reliquit. Quæ, inquam, Dei  
 O t. Max gratia, quâ Princeps es, & quidem  
 tantus, tantus inquã, iugiter gratâ abs te men-  
 te reſcolli debet, vt omnem ſplẽdorem, ac ho-  
 norem tuum vertas ad honorem ſuum in re-  
 ſcto Catholicæ fidei ſenſu benedicẽdo, & col-  
 laudãdo eum cum omnibus populis tuis hĩc,  
 & in ſecula. Sic enim terreſtrem hanc fœlici-  
 tatem cum beatitudine continuabis cœleſti,  
 nunquam moriturâ, omni gloria, & gaudio  
 plenâ, atq; perfectâ.

Agedum quis hunc ſalutarem tibi oſtendet  
 Deum, ſupremum Numen, colendi modum?  
 Non aliquis, me authore, ſuſpectus hoc tem-  
 pore concionator; ſed hi ipſi fœliciſſimæ re-  
 cordationis Maiores, & conſanguinei tui an-  
 tiqui, Imperatores, Reges, & Principes ſum-  
 mẽ ſapientes, inſigniter pij, imò nõnulli San-  
 cti, & ad miraculum uſque caſti. Nec viã, vel  
 cœlo errabis, horum veſtigia inſequens. Sug-  
 gerit conſilium hoc Deus ipſe per os Sancti  
 Prophetæ Moyſis, alloquens in populo ſuo,  
 qui à ſemitis prædeceſſorum ſuprum retro-  
 ceſſerat, his vnumquemque verbis: *Me-  
 memento dierum antiquorum; cogita generationes  
 ſingule*

*Deut. 32. v. 7.* *singulas:interroga patrē tuum, & annuntiabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi. Et apud Prophe-*

*Iere. 6. v. 16* *tam Ierem. Hac dicit Dominus: State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulatē in ea: & inuenietis refrigerium animabus vestris. Huius consilij, & sententiæ plura, si opus esset, adduci possent ex sacris literis testimonia.*

*Iob 8. v. 8.*

*Pf. 77. v. 6.*

Quam verò grauius idem Dei Spiritus comminetur ijs, qui patrum legem dimitunt, aut à rectis maiorum suorum semitis recedunt, non est hic necesse Generoso inferre pectori, quod virtutis amore, & storge quadam naturali appetit laudata suorum parentum cursu insequi vestigia.

Nec tamen hic mihi mens est, & animus, ex Saxonū Heroibus, Maioribus tuis, in scenam producere Principes belli pacivè laudibus claros; animi magnitudine, & constantiâ inuictos; fide, & sinceritate in pactis incorruptos; aut robore corporis stupēdos; aut armorum fortitudine insuperabiles; rarâ Sapiencia præditos, quales fuisse quàm plurimos, satis terrarum orbi constat; sed hoc delectat dicere, quod præsentis loco spero futurum vtile, nec auribus ingratum; nempe ad vnū omnes Maiores tuos, quorum sanguinis per rectam lineam hæres es, à VVitikindo Magno, & primo ex familia Principe Christiano, ad Henricum vsq; proauum tuum: omnes quoque



que agnatos, & confanguineos collaterales ab eodem V Vitikindo descendentes, ad Fridericum III. Electorem vsque, sinceros extitisse Catholicæ fidei cultores, Apostolicæq; Romanæ Ecclesiæ Matris in visceribus Iesu Christi dilectos filios: qui, inquam, Fridericus, dicti Henrici patruelis, omnium primus de familia Saxonum nimis inconsideratè autam religionem, non aliter quam vestem veterem, & attritam abiicit, nouamque quam tunc sarcinabat Mart. Lutherus, ab ordine Monastico S. Augustini profugus, induit; cum tamē Lutherus, vt liquet, principio ipsemet nihil minus cogitaret quam vel à fide Catholica, vel à religioso ordine S. Patris Augustini latum pedem recedere, sed inuidia accensus in religiosos S. Dominici Patres, vulgò Prædicatores, Syluestrum Prieratem, & Iohan. Tecelium quibus tunc temporis commissa erat Indulgentiarū publicatio, cœpit & homines, & actiones verbis, & scriptis pun gere, sensimque ipsam Ecclesiæ de Indulgentijs doctrinam mordere, & quod consequi solet, incidit postea non habens charitatem, dubius animi, & simul elatus, de errore in errorem, ac rerum exitu comprobante pedetentim de peccato iuit in peccatum, donec præcipiti lapsu rueret in abyssum, & pœnam delictorum omnium grauissimam, qualis est mentis excæcatio.

Clare

Clarè lapsus initium, & progressum istum ostendit ex ipsius complicibus Chronologus Ioh. Sleid. in principio Historiæ suæ, his verbis; Cum ij. inquit, literis (ad Arch. Mog.) unâ mittebat themata quæ nuper disputandi causâ VViteberga promulgarat sed indaganda solum veritatis causa, protestatus nihil affirmare se. se a Sæctæ Ecclesiæ iudicio rē omne submittere. Et paulò post adhuc clarius ex ipsius Lutheri, mense un. datus ad Leonē (Papam) literis, quibus vt ait Sleid. exponit, quā temerarie questores illi doceant, & quā agant auarè freti ipsius, vel abusi potius auctoritate, nō se dubitare quin sit grauius delatus, verū iniuriā sibi fieri. Cōcionib. enim questorū, & libris nimium ineptis coactum edidisse quædam disputandi solum gratia quæ nunc apertius declaret: orare ne criminationibus illis fidem habeat: Fridericum Saxonie Principem Electorem eā esse prudentiā & integritate. & erga religionem (quā hic inteligit Catholicam Romanam) obseruantia. vt si vera essent, quæ delata sunt ab Aduersarijs, non sit passurus Prouinciā suā ad eum modum contaminari, sed & Academia VVitebergicā consimilem esse voluntatem: Breuiter omnia sua scripta, vitam quoq; & salutē ipsius arbitrio, atq; potestati sese permittere: quicquid ab ipso profectum fuerit eo loco futurum apud se, ac si dimanasset à Christo. Et tanquā ex oraculo aliquo auctum esset; neq; capitis recusare pœnam, si quidem ita videatur ipsi, &c.

Hæc sic integrè ex Sleidano huc referre libuit,

buit, vt firmiter cōstet, & notum fit omnibus, quod Lutherus initio suę defectionis vel turbationis, nihil minus cogitarit, quam vel Catholicā Romanę Ecclesię fidē eiurare animo, vel etiā religiosum ordinis sui habitū exuere corpore, quę ex tūc per \* septē integros adhuc gestauit annos, abiecto demū cucullo Do. 20. post Trin. d. 9. Octob. An. 1524. Ad eō vt Luther⁹ minimē dici, aut credi debeat extra ordinē à Deo excitatus, ac missus vniuersę Ecclesię Reformatō antiquę, aut nouę Cōditor. Quin potius ex ijs Lutheri verbis, si vera sunt, si nō ficta, & ex doloso corde, & animo profecta, si sunt à Deo, & à Spir. S. ipsi suggesta, inde colligimus, ac discimus, à Ro. Ecclesię cui tunc præsidebat Leo Papa X. minime esse recedendū, sub pena amissionis nō solū fidei, æternęq; salutis: sed & capitis, ac presētis vite.

Neque eiusmodi verba Lutherō semel fortē per incogitantia exciderunt, multo minus per vim, vel metū extorta fuerunt, sed vltro, ac liberē, & sepi⁹ ipse repetijt, vti apud eundē Sleidanū videre est, tū in cōcertatione per literas cū Syluestro Prierate, tū Augustę in colloquio cū Cardinale Caietano, vbi, circa initiū Octob. An. 1518. Lutherus referēte Sleidano, deliberādi spatū petit, postridie redit, & presentib. aliquot testibus, atq; scriba. Cōsiliarijs quoq; Cesaris quatuor adhibitis, Ecclesiā Sanctā Romanā à se reuerenter coli profitetur & obseruari: Si quid

etiam

\* Abr. Buchholtz. in sua Chron.

*etiam alienum ab ea dixerit, nolle ratum babere. Item paulò post: Non se quidem negare, quin labi possit atque falli: hoc enim esse humanum: ideoq; sese deferre cognitionem legitima & Sanctæ Ecclesiæ totamque causam eius iudicio permittere.*

*Hæc tunc plusquam deliberatè dixit in præsentia Cardinalis, & quatuor Cæsaris Confiliariorum, coram notario, & testibus. Imò & scripsit familia ad ipsum Pontificem, nempe*  
 Apud Sleid. *Leonem, anno seq. 19. d. 3. Mart. vbi præmissis multis querimonijs & sui excusationibus recitat delatum se grauitè & accusatum esse præter omne suum meritum, se quidem erga Romanam Ecclesiam & ipsum quoque sic esse affectum, vt nihil in eam moliri cogitet: tantam enim eius Ecclesiæ potestatem esse, vt præter vnum Christum in rebus humanis nihil ea sit excellentius: orare ne suis aduersarijs fidem habeat: de Indulgentijs nullam se post hac mentionem esse faciurum, modò suis inimicis inuicem mandetur silentium; pro concione quoq; se velle commonefacere populum, vt de Ecclesia Romana piè sentiant, & honorificè, nec alienam temeritatem, aut auaritiam huic adscribant, neue suum imitentur exemplum, qui quodammodo coactus ab Aduersarijs parum reuerenter illam atque dignè tractarit, &c.*

*Hæc, inquam, Serenissime Princeps, propterea commemoro ex ipsomet Luthero, vt hominem ex proprio ore iudices, meritoque suspectum habeas, quem fidei magistrum ducem*  
 cem

cem sequaris, cui adeò longè à verbis, & sententijs proprijs recedenti, sibi que pli deinceps toties contrarianti, ac prioribus dictis, præceptisque suis contradicenti (quod in doctrina ipsius probè notavit foelicissimæ memoriæ frater proavi tui Dux Georgius) æternam animæ tuæ salutem haud tutò concedere possis.

Ego quidem in paucis hisce folijs mihi minime propolatum habeo, ipsius perstringere vel errores doctrinæ, vel vitia personæ; quod ab alijs hæctenus quam plurimis satis est factitatum; neque alijs in memoriam refricare, quo præceptore de nocte, semetipso confitente, & ad longum Tom. 7. Operum suorum de priuata Missa recensente, nullo etiam ex discipulis inficiente, de sensu verborum Christi circa altissima sacri Altaris mysteria fuerit institutus, quem claris & germanicis verbis Diabolum nominare non erubescit ipse: Quo familiari spiritu tantus postea euasit tot discipulorum doctor, & nouus Euangelista. Sciens, volensque hic etiam dicere omitto, quibus fulminibus, & qualium dicteriorum tonitru quatefacere solebat quoscunque sine discretione, & differentia personarum, siue Cæsarem, siue alios Reges, & Principes, si qui non statim ad nutum hanc nouæ religionis doctrinam suam beneuolè susceperent, quos inquã Præceptor iste non solum

B

Alinos,

\*videatur  
liber, quē  
scripsit cō-  
tra Henri-  
cū, Ducem  
Brunsvic.  
titulo:

Hans  
Worst.

*a* Epist. ad  
Vulturium,  
ann. 1529.  
*b* in libro de  
Visit. Sax.

Asinos, Grobe Silz/Tölpel/Esel/&c. sed omnino scelestos Germanice \* Schelmen/vnd Erlöse Böswicht palam absque conuiciorum aliorū numero in scriptis traducebat. Et alijs etiā verborum spurcitijs, & familiaribus eius iocis nimis scurrilibus omnino taceo

Sed quandoquidē integro iā sæculo de fide, ac religione acerbè, & cruētè in finibus Christianorū, & maximè ac primit<sup>o</sup> in dilecta Germania nostra disputatū, ac dimicatū fuit: eoq; caritatis, & vnionis vinculum disruptū: Religio mutata, & variata; templū contra téplum, altare cōtra altare erectū: nihil verò animaduertim<sup>o</sup> eos, qui tali se schismate separauerūt, reformato, vt vocant, Dei cultu isto, vel propter vnum pilum meliores factos, aut vllū diuinitus editū vnquā pro testimonio, vel confirmatione prædicationis eiusmodi Euāgelij miraculū: sed poti<sup>o</sup> populos euasisse (quod accuratè obseruauit in tali reformatione prodromus *a* Erasmus, imò & *b* Lutherus ipse) in numeris vitijs deteriores, secuta esse nobiliū & rusticorū; Principū & Subditorum dissidia, bella, odia, infidias, inimicitias, suspensiones: Imò verò quia ad oculū cernimus Religionē istā (quā vocauerunt Augustanę confessionis) posthac nihil proficere vltra, sed poti<sup>o</sup>, etiā ijs in locis vbi cepit, & incautè ab hominibus parū sobrijs recepta fuit sēlim deficere ac disperire; in locū aut illius inuehi, ne dicā intrudi, longè

longè pestilentioris doctrine, quã effinxit cõtra non minus Lutherũ Germanũ, quã quoscunq; Catholicos, homo Gallus, professionẽ, & cultum nunquam in Imperio concessum; rapinas, sanguinem, & cædes sitientem:

Hinc inquam, vnicum hoc agere intendo, vt suspectã omni in religione nouitate, & partialitate sepositã, Catholicã fidem, quæ semper, quæ vbiq; quæ omniũ fuit & est populorum, ac gentium; regum, & principum eadem, & constans, propter honorem Dei, & amorem propriæ salutis, ab antiquioribus inquiras, & cognoscas instructoribus. Inter quos cũ meliores non sciã, nec animæ tuæ cariores, auitis parentibus, & maioribus tuis, quorũ continua propagatione caro, & sanguis es, quorumque omnium bonorum, à quibus saluificã Christi fidẽ, vtpote bonũ Opt. Max. eam quã testamento posteris suis reliquerunt, excludere nõ debes, hæres es: illos inquam, non alios è cælis aduocabo, & huc adducã veræ & Orthodoxæ fidei indices, quorum augustis monumentis, testimonijsque de ea fias certior.

**DE VVITIKINDO I. PRIMO CHRISTIANO, ET FIDELIVM SAXONIAE Principum Progenitore.**

**V**T QVE à capite ordiar, memoriã recolo VVitikindi primi, patris tã amplæ, & auguste familie, qui cũ pagan<sup>o</sup> fines Christianorũ multũ vastaret, armis tandẽ à Carolo dicto

\* VVitik.  
chron. li. I.

Magno post diuturna annorum fermè\* tri-  
ginta bella depressus, exul, vagusque circa  
VValmerstedam in syluis, accepto saluo  
conductu, victori factus est supplex, gentili-  
que barbarie deposita, Christo Regi Regum  
se subdidit, Anno 785. & sequente anno VVi-  
tebachij iuxta sacros Catholicæ Romanæ  
Ecclesiæ ritus, salutiferâ baptismatis undâ  
ablutus à S. Hildegrino Episcopo Halbersta-  
denfi. I. patrino existente ipso Rege Carolo,  
vt referunt annales Franc. Regino, & alij.

Quid verò eodem tempore, quo VViti-  
kindus rudimenta Christianæ fidei accura-  
tus rerum omnium obseruator addisceret,  
contigerit, ad gloriam Dei, hic minimè dissi-  
mulandum est. Refert Alb. Crantius in Me-  
trop. Sax. lib. 1. c. 9. & hist. Saxon. lib. 2. c. 23.  
qualiter VVitikindus assumptâ formâ men-  
dici, vnâ cum alijs mendicantibus in septima-  
na sancta ad stipem sedebat, hoc fine, vt tan-  
to secretius ac penitius Regis Caroli, alio-  
rumque Christianorum mores, & vitam cir-  
ca tempus illud occultus & latens inspiceret.  
Sed quia ex incuruo manus, quam more alio-  
rum mendicantium ad capiendam eleemo-  
synam exporrigebat, digito statim agnitus  
fuit, iussus est accedere Regem. *Erat tum, in-  
quit author, Sanctissimus Paschæ dies. Rex hilari-  
ter excepit venientem, percontatus quid sibi vellet  
indignus Principe habitus. Ille sub hac: Volui, Sere-  
nissime*



nissime Rex, hoc habitu incognitus, ut sperabam, lustrare secreta gestorum, quæ cognitus non tam fidenter aspicerem. Curiositas induxit ut latibulum quærerem. Qui inter tuos nunc in gratiam susceptus, propalam potero percontari quæ vellem. Quid igitur, inquit Rex, vidisti, quod te vidisse delectat? ille ut erat adhuc rerum Christianarum rudis, subintulit: Vidi quod mirabar, ante biduum te dimisso vultu tristem, incertus quid contigisset, quod tantum Regem contristaret: (Commemoratio fuit Dominicæ Passionis, qua die Parasceues regium vultum obscurasset) rursus, inquit, vidi hodierna te die primū sollicitum, & ad rem attentissimum: postquam verò mensam adieras in templo mediā, ita hilaris mihi conspectus es vultu, ut repentinæ in te mutationis me caperet miraculum. Stupor autem erat videre, quod de manu purpurati Sacerdotis singuli pulchellum puerum in os susciperent, quem quibusdam ludibundum arridere, vltro properare, alijs verò abhorrentem auertisse vultum, & tamen in ora demissum, nec redeuntem aspexi. Hoc quid sit necdum accipio. Tum Rex; Benè, inquit, profecisti, plus tibi aliquid quam cunctis sacerdotibus, & omnibus nobis est ostensum. Inde mutata veste manu secum abstractum docuit grande pietatis mysterium in Altaris Sacramento. Quâ re cognitâ exhilaratum Ducem orasse, ut proprium illi sacerdotem permitteret, qui diuinæ rei curam haberet, crebriusque in conspectu perageret Altaris sacratum mysterium. Rex etiam Pontificem illi daturum pro-

mittit, modò illi habitationem Episcopo dignam  
 prouiderit. Ducem verò arcem suam ad VViseram  
 vtriusque capacem ostendisse: dedit que in eiusdem  
 arcis non exiguo circo locū ædificandæ Ecclesiæ. Fe-  
 runt proinde nomen Ecclesiæ prouenisse quod meum  
 & tuum, quasi communis duorum possessio so-  
 nat in lingua Saxonum vernacula *Min dir*.  
 Erat vir præcipua religione Herimburtus, qui  
 cum Carolum latere non posset, dignus est ha-  
 bitus, quem primum præficeret eidem Eccle-  
 siæ Mindensi Episcopum. Hucusque ille au-  
 thor.

In qua historia multa certè memorabilia,  
 quædam etiam mirabilia continentur: ac no-  
 tandum primò in principe VVitikindo,  
 quam fuerit sedulus, & attentus inspecto-  
 rum fidem susciperet. Secundò, de myste-  
 rijs fidei, præsertim Venerabilis Sacramen-  
 ti instructus, quam fuerit idem ilicò pius, &  
 in religione feruidus (*nescit enim tarda moli-  
 mina Spiritus sancti gratia*) cum bono Deo sta-  
 tim diuidens alteram arcis suæ medieta-  
 tem pro ædificanda Ecclesia, in qua S. He-  
 rimberto, primo eius loci Episcopo, pro di-  
 gnitate Cathedralis erigeretur Sedes. In  
 Rege verò Carolo elucet antiqua Catholi-  
 corum pietas in Christum, quo cum oport-  
 tune

S. Ambr. in  
 c. 1. S. Lucæ.  
 lib. 2. ca. 3.

tunè & triftari & lætari oportet : in proximum verò charitas eius effulget, quem licet conditione inferiorem, ipfe quantum potest, priuatim manu fncum abstractum, erudit, ac instruit de summis fidei myfterijs, idque cum magna animi lætitia, ac spiritus mansuetudine.

Sed de stupenda visione, quæ diuinitus VVitikindo accidit, quid dicam, aut sentiam? Maior illa est, & sublimior, quam vt à me prædicetur. Hoc solum inde pro memoria repetam, quam fit res in Ecclesia Catholica certa, & indubitata, quod communicantes in sacræ Eucharistiæ mensa accipiant non alium Panem, quam qui de celo descendit, Sanctum illum puerum I E S V M, qui de se dixit; *Ego sum panis viuus; & panis quem ego* Ioan. 6.  
*dabo, caro mea est pro mundi vita &c.* boni promiscuè & mali, licet dispari sorte, quod vtrumque per miraculum oculis supernaturaliter à Deo illustratis in specie pulchelli pueri communicantibus à Sacerdote dati, clarè vidit beatissimæ memoriæ primus Christianus & Catholicus Saxonum Dux VVitikindus, in fide adhuc infans, cui idcirco Christus in S. Eucharistia latens, in forma potius infantis, seu pueruli, quam viri adulti apparere voluit.

Exstruxit ille postmodum Angriæ quoq;

Basilicam, in qua sepultus, sed inde ab Henrico Romanorum Rege Paderbornam translatus, lætam ibi cum vniuersis Christi fidelibus sui resurrectionem expectat. Reliquit duos post se filios, VVigbertum & VVitikindum II. fecundissimos stēmatis sui propagatores. Non tamen hic enarrabo ordine singulos ipsorum de generatione in generationem filios, ac nepotes, sed adducam ex bisecta vtriusque familia solum illustriores, & quidem è natione Germanica.

---

## DE OTTONE, MAGNO

DVCE SAXONIAE.

**A**C primo loco in linea VVigberti occurrit Otto Saxonie Magnus Dux, (quo tunc titulo vocabantur) dicti VVigberti pronepos, pater Henrici Aucupis, princeps bellicosus, sed magis pius, qui Imperium Ludouico defuncto ad se delatum propter ætatem grauiorem modeste recusauit, proque se fororium suum Conradum Francum nominauit. Ad quam ipsius humilitatem respiciens Dominus Deus, filio illius, ac filij filio, atque nepotibus eam est elargitus dignitatem. *Penes Ottonem tamen, vt VVitikindus ait lib. i. semper summum & vbiq; vigeat imperium.* Fundauit ex suggestione VViperti, Episcopi Verdenis, in honorem B. Virginis Monasterium Benedi-

Benedictinorum in monte Lunaburgensi, qui à calce nomen habet; mortuus in Domino, An. 916.

DE HENRICO I. AUCUPE.

VENIO nunc ad filium eius Henricum Humilem, vulgo dictum Aucupem, quod *\* in adolescentia cum pater rebus præesset plurimū indulgeret aucupijs* Princeps ille fuit corporis, animiq; dotibus insignis, prudens, fortis, iustus, sed quod maximum est, egregiè pius, ita vt dignissimè meruerit à Rege Conrado moribundo nominari, & à *\* fratre eius Eberhardo, alijsque primarijs Fritellariæ congregatis coronari Rex Romanorū: in quo titulo substitit, recusans solemnibus sacris Imperator inungi. Respondisse fertur Herigero, Archiepiscopo Moguntino, ipsum ungeri cupienti, se vnctione indignū esse. Interpretor hoc ab eo factū ex humili de se opinione magis, quam ex vera ratione. Non enim licuit illi, postquam se Regem creari permisit, tāquam personæ publicæ ex priuato erga se affectu omittere solennes Cæremonias, ac ritus ordinarios, tantæ Maiestatì debitos. Reuelatum hoc legimus, ostensumque S. Vldarico, Episcopo Augustano, à S. Afra, vt refert Dittmarus lib. 1. per *\* visionem duorum gladiorum, quorum alter cum capulo, alter sine**

*\* Crantz. Sax. l. 3. c. 4*

*\* Dittmar. chro. lib. 1.*

*\* Visio hæc aliter explicatur ab*

B 5 capu-

Hen-  
anf-  
deli-  
quit  
iti-  
pro-  
line  
era-  
bi-  
s, &  
  
oc-  
quo  
berti  
ceps  
Lu-  
eta-  
ue se  
mi-  
iens  
que  
enes  
sem-  
nda-  
Ver-  
ium  
edi-

Ottone  
Fris. l. 6. c. 18  
vt ensis cū  
capulo Hē-  
ricū, & sine  
capulo, h.  
e. sine ca-  
pite, & iusti-  
tia, Arnol-  
phū Bauarię  
Ducē, Re-  
gnū iniuste  
affectātem  
significet.  
Nos Dit-  
marum se-  
quimur  
antiquiorē

capulo erat; & dictum illi à S. Apostolo Pe-  
tro; *dic Henrico Regi: Ensis ille qui sine capulo est,*  
*significat Regem, qui sine benedictione Pontificati*  
*regnum tenebit.*

At cur Rex iste, pius alioquin, & in Reli-  
gione Catholica sincerus, se vnctione con-  
suetā reputauit indignum? Dicam, quod sen-  
tio: Iuuenis cæco inardens amore sociavit si-  
bi matronam pulchram pariter & diuitem,  
quam tamen sciebat velatam, nomine Hat-  
teburg, Eruini senioris filiam, ex familia Co-  
mitum Aldenburgiorum, nuptijs ex more  
peractis, vt refert Ditmarus, vetus author  
Chron. lib. 1. Acriter ob hoc reprehensus, &  
ad publicam Synodum citatus à venerabili,  
& sanctæ vitæ Episcopo Halberstadenfi, Si-  
gismundo, absoluitur intercedente Rege  
Conrado, ipsius auunculo, vt cœnobio per-  
sonam restituat. Aliam itaque duxit Mech-  
tildem, Comitissam Ringelheimensem, filiā  
Theodorici, & Reinhildæ, ex V Vitikindi  
Regis tribu exortā, ex qua filios tres, de qui-  
bus paulò post, singulis ordine dicā, & quinque  
filias suscepit. Sed quod ad propositum no-  
strum spectat, contritus, & humiliatus, qua-  
lem postea Henricus egerit pœnitentiam, di-  
cat nobis idem Ditmarus: *Audiui, inquit,*  
*quod hic Henricus Romanam causa orationis petens,*  
*plus pedibus, quam equo laboraret; & à multis in-*  
*terrogatus, cur sic ageret, culpam profiteretur. Pœ-*  
*nitendo*

nitendo itaq; factus postea Rex, sacra se vn-  
ctiōne indignum iudicauit qui sacrilege ali-  
quando peccarat, iniusto, scilicet, se hactenus  
multum peccasse connubio tandem professus &c.

Quam verò fuerit in colligendis, veneran-  
disq; Sanctorum reliquijs diligens, & semper  
deuotus, referunt diuersi. Inter alia celebre est,  
& notatu dignū, quod \* V Vitikindus, eiusdē \* V Vit, li. 1.  
sæculi scriptor, memoriæ prodidit; Carolum  
nempe Simplicē dictum, Galliarū Regē, sed  
diademate priuatum, legationē misisse cū sa-  
cris muneribus ad Regē Henricum, quibuscū  
protestatur Fræciæ pacē, & gloriā ad decus, &  
tutamētum Saxonie simul trāsferri. Ea enim  
Catholicorū semper fuit de sacris Reliquijs  
mens, & sensus, quod cum earum translatione  
loci prospirites, & benedictio quædā transmi-  
gret. Experti norunt hoc Colonienses, quid,  
quantūq; sibi profuerint SS. tres Reges, Me-  
diolano ad se delati. Nec ignorauit Serenissi- An. 1524. d.  
mus Bauariæ Dux, quādo sacra ossa Bennonis 23. Iul.  
Misna, vbi Episcopus fuit, Monachiū, vbi nō  
pauca ad tubā eius fiūt miracula, trāsferri im-  
petrauit. Sed audiamus Historicū de quo dixi, An. 1164. d.  
Legati verba recitantē. Dominus meus, inquit, 16. Maij.  
Carolus regia quōdā potestate pæditus, modò priua-  
tus, misit me ad te, demādās, quia nihil ei ab inimi-  
cis circūuento iucūdius, nihil dulci<sup>r</sup> esse possit, quā de  
tui magnifici profectus gloria aliquid audire, ac fa-  
ma virtutū tuarū cōsolari. Et hoc tibi signū fidei, &  
veritatis.

veritatis transmissit : protulitque de sinu manuum pretiosi Martyris Dionysij auro gemmisque inclusam. Hæc, inquit, habeto pignus fœderis perpetui, & amoris Vicarij. Hanc partem vnici solatiij, & antorum Galliam inhabitantium, postquam eos deseruit insignis Martyr Vitus, & ad nostram perniciem, vestramque perpetuam pacem, Saxoniam visitauit, communicare tecum maluit; neque enim postquam translatum est corpus eius à nobis, ciuilia vel externa cessauere bella: eodem quippe anno Dani & Northmanni regionem nostram inuasunt. Rex autem munus diuinum cum omni gratiarum actione suscipiens, prosternitur reliquijs Sanctis, & deosculatus eas summa veneratione veneratus est.

Ecce, Serenissime Princeps, in quo pretio, & honore Sanctorum reliquias habuerit Rex Romanorum Henricus Saxo. Imò adeò auidus fuit sacrarum reliquiarum, in quibus robur, & fœlicitatem suam ponebat, vt quibuscunque eas modis, muneribus, precibus, & minis compararet. Etenim quid de lancea, ex Christi clauis (intelligo ex aliquibus eorum particulis) confecta, referat \*Sigebertus, his non superuacaneè adijciam. Lanceam, inquit, mirandi operis ex clauis IESV Christi crucifixi sanctificatam, quæ dicitur Primi & Magni Constantini Imperatoris fuisse donatam Rudolpho Regi Burgundionum, & Italiae, à Samfone Comite, Rex Henricus precibus, minis, muneribus, addit à  
etiam.

\*item Luit.  
pr. lib. 4.  
cap. 12.



etiam parte prouinciæ Sueuorum à Rudolpho extorquet, & hanc ad insigne, & tutamentū Imperij posteris reliquit. Plura de eadem lancea commemorantur \* in rebus gestis S. Gerhardi, Abbatis Broniensis, qui eodem tempore Sanctitatis laude claruit. Henricus Rex Ottonis Saxonum Ducis filius, vt erat Deum timens, & amator Religionis Ecclesiasticæ, vbi percepit Rudolphū Burgundionum Regem habere tam cæleste & inestimabile donum, quod idem Rudolphus pro summo amicitie munere à Sāsone Comite acceperat, missis ad eū Legatis, tentauit multis oblatiis muneribus si ab illo impetrare sibi que aduersus tum visibiles, tum visibiles hostes arma inuictissima, triumphumque perpetuum, comparare posset. At Rudolpho Rege id se nulla ratione daturū asseuerante, modis omnibus Henricus Rex, quē munerib. emollire non posset, minis intentatis frangere conatus est, affirmans se omne eius Regnum ferro, & flammis vastaturum Sed quia illud quod petebatur munus eiusmodi erat, quo olim Deus terrena cælestibus vtraque pacificans, coniunxit, Rudolphi Regis animus tandem diuinitus est emollitus, ita vt iusto Regi iusta petenti annueret. Quo autem amore donum hoc eximium Rex Henricus complexus sit, hoc ipso vel maximè declarauit, quod non modo auri & argenti muneribus Rudolphum Regem honorauit, verum etiam Sueuiæ Prouinciæ non minimā donauit parte. Deus autem qui cordium inspector est, & bonas muneratur voluntates, qua mercede, huius rei causa,

\* apud Suriū tom. 5.  
d. 3. Octob.

causa, pium Regem Henricum in aeterna vita affe-  
 terit, quibusdam iudicijs etiam in hoc saeculo, pro-  
 dere voluit, quando hostes in ipsum incurrentes hoc  
 victorioso praeeunte signo semper terruit, atque fu-  
 gavit. Tali igitur occasione, diuina fauente volun-  
 tate Sanctam illam lanceam Rex Henricus adeptus  
 est, quam filio, de quo nobis in praesentiarum sermo  
 est, e vita decedens dereliquit, vna cum regno, non  
 minori veneratione ab eo conseruandam, vti non  
 pauca testantur victoria, quas per eam orando ob-  
 tinuit.

De alia quoque lancea, qua aliquando v-  
 sus fuit Carolus Magnus, mentionem facit  
 historia de gestis Anglorum: item Beda lib.  
 2.c.8. quam Henrico Regi dono misit Gener  
 ipsius Hugo in Gallijs, Hugonis Capeti pa-  
 rens. Lanceam Caroli Magni pariter misit, quam  
 Imperator inuictissimus contra Saracenos exerci-  
 tum ducens, si quando in hostes vibrabat, nun-  
 quam nisi victor abibat. Ferebatur esse eadem qua  
 Dominico lateri Centurionis manu impacta pre-  
 tiosi vulneris hiatu paradisum miseris mortalibus  
 aperuit: Vexillum item misit Mauritij beatissimi  
 Martyris, & Thebae legionis Principis, quo idem  
 Rex in bello Hispano quoslibet infestos, & conser-  
 tos inimicorum cuneos disrumpere, & in fugam  
 solitus erat cogere. Tantae pietatis studio  
 Sacrae reliquiae ab Henrico Rege coleban-  
 tur.

Porro quam fuerit idem Rex zelosus, &  
 ferui-

feruidus in propaganda Catholica fide, & conuertendis ad eam barbaris infidelibus, à quibus subiugatis duo exigere solebat, fidem Christianam Deo, sibi tributum, paucis hic etiam indigiabo. Magna enim & periculosa gessit ipse bella, potius vt Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ quam Imperij dilataret pomeria. Ac anno 930. & seqq. totus in Septentrionalium populorum, per fines imperij perniciosè grassantium conuersionem incubuit, & Reges Northmannorum & Abroditarum victoriosâ manu ad fidem Christi perduxit. *Contract. Sigeb. Schaffnab &c.* Danis quoque, quos transire opus habuit, religionem quam non multo antè tempore, sub Ludouico II. Imperatore à S. Ansgario, primo Sedis Hamburg. (quæ nunc Bremensis) Archiepiscopo acceperant, Sanctissimi Vnni, eiusdem Sedis Archiepiscopi, qui postea quoque in Suetiam Christi Euangelium intulit, Apostolicâ prædicatione restituit. Ita ex priscis refert *Adam Chronologus lib. 1. Hist. Eccl. ca. 49. 50.*

In hostes verò Ecclesiæ, ipsiusque Romani Imperij valdè seuerus erat, & terribilis, qui Sclauos, & Henetos, expugnatâ ipsorum arce primariâ, quæ \* Brandeburgi erat, mediâ hyeme castris in glacie positis, fame, ferro, flammâ, Anno 927. deleuit.

*VVitik. Luitprand. Sabin. Sigeb. Brotuf. Vnga-*

\* Brenna-  
burg. vocat  
VVitik. l. l.

\* Hennin-  
ges refert  
40000.  
alij adhuc  
plures cæ-  
los.

Vngaros quoque Gentiles innumerâ multi-  
tudine, locustarû more ad ducenta millia de-  
populantes Germaniam, incredibili \* cæde  
prope Mersburgum omnes, quos aquâ non  
absorpsit, ferro trucidauit, vociferante eius  
Exercitu: *Kyreeleison, Kyreeleison*, septem  
duntaxat seruatis, quos auribus, manibus, na-  
ribus truncatos, acceptæ cladis nuncios, ad  
Hungarię confinia reduci iussit: & tributum,  
quod Vngaris prius debebatur, postea cultui  
diuino impendit, & pauperum vsibus: quam  
historiam ad longum narrat Brotufius, re-  
fertque ad annum Chr. 933. Sigebertus verò  
ad annum seq. 934. Ad viuum vero depictam  
refert Luthprandus lib. 2. ca. 9. Mersburgi *in  
superiori cinaculo domus per ζογσαφ αυ, adeò vt  
rem veram potius quam verisimilem videas.* Idem  
testatur Otto Fri: ng. lib. 6. c. 18. Et qualiter  
milites suos ipsemet ad bellum exhortari so-  
lebat; vt pro gloria, & honore Dei Creatoris,  
& Redemptoris sui pugnarent, in hac eadem  
Historia meminit scriptor V Vitikind. de  
reb. Sax. lib. 1. & Luitpr. lib. 2. cap. 8.

Tandem, dum iter adhuc semel Romam  
deuotionis causa instituere cogitat, infirmi-  
tate correptus, in Castello quod est inter Thurin-  
gorum & Saxonum confinia, & dicitur Himeleu-  
na, piè, & Catholicè migravit ad Dominum.  
Luitpr. lib. 4. c. 7. Ditmarus vitæ finem, &  
obitum illius sic recenset: *Ceteras quoque vrbes  
ad salu-*

ad salutem regni & templa Domino ad remedium  
 animæ deuotâ mente fabricauit. Post innumera  
 virtutum insignia idem decurso vitæ suimet stadio  
 sexto & cimo regni, ætatis autem suæ sexagesimo  
 anno. sexto \* Non. Iulij in Miminleue moritur, & \* d. 2. Iul.  
 in Quedlinburg, quam ipse à fundamento constru-  
 xit, sepultus, à cunctis Optimatibus meritò defletur.  
 Accidit hoc anno Dominicæ incarnationis 936.  
 V Vitikindus, qui eodem sæculo vixit, ex-  
 itum illius ex hac vita paulò clariùs, & pro-  
 lixius ita denarrat: Cum autem omnes in circui-  
 tu nationes subiecisset, Danos, qui nauali latroci-  
 nio Fresones incurfabant, cum exercitu adiit, vi-  
 citque, & tributarios faciens, regem eorum Chnu-  
 bam baptismum percipere fecit. Per domitis itaque  
 cunctis circumquaq; gentibus, postremo Romã pro-  
 ficisci statuit, sed infirmitate correptus iter inter-  
 misit. Cumque se iam grauari morbo sensisset, con-  
 uocato omni populo, designauit filium suum Otto-  
 nem Regem, cæteris quoque filijs prædia cum the-  
 sauris distribuens, ipsum verò Ottonem, qui maxi-  
 mus, & optimus fuit, fratribus, & omni Francorum  
 Imperio præfecit. Testamēto itaq; legitimè facto, &  
 rebus omnibus ritè compositis defunctus est ipse rerū  
 Dominus, & regum maximus Europæ, omni virtute  
 animi corporisq; nulli secūdus. Et addit: Erant au-  
 tē dies, quibus regnauit XVI. anni, vitæ autem LX.  
 Translatū est corpus à filijs suis in ciuitatē quæ dici-  
 tur Quedlinburg, & sepultū in Basilica S Petri ante  
 altare cū planctu, & lachrymis plurimarū gentiū.

C

DE

DE S. MATHILDA, CONIVGE  
REGIS HENRICI.

Luitpr. lib.  
cap. 7.

**A**NTE QVAM verò ad filios Henrici progrediar, non foret inutile hic ex Luitprando, qui illo ipso tempore vixit, paucis etiam indigitare, quanta pietate, quanto studio, & deuotione corpus mariti defuncti terræ, animam verò Deo quibus supplicationibus, oblationibus, elemosynis relicta vidua S. Mathildis commendarit.

\* Abbatia.

Henrici corpus, inquit, in Saxoniam deportatum in nobilissimarum ac religiosissimarum \* monasterio puellarum, quod in ipsius Regis pradio vocabulo Quediungaburg situm liquet, in Ecclesia cum immensa est veneratione depositum, vbi & venerabilis eius coniunx, regniq; consors ex eadem gente nomine Mathildis, vltra omnes, quas viderim, & audierim Matronas, pro delictorum expiatione celebre exequiarum officium viuam Deo hostiam offerre non desuit. Eadem commemorat quoque Ditmarus lib. 1. Et pie fecero, si his addam, quæ de Sanctissimæ huius fœminæ laudibus apud VVitikindum exstant lib. 3. circa finem. Quis, inquit, dignè posset explicare eius vigilantiam erga cultum diuinum? omni nocte, omnibus modis, & omni genere cellulam suam diuinorum carminum melodia implebat.

Erat

Erat enim ei cellula Ecclesia proxima, in qua modicè quiescebat. De qua omnibus noctibus consurgens intrabat Ecclesiam, nihilominus cantoribus, & cantatricibus inter cellulam, & proforibus, & in via triformiter constitutis, qui divinam clementiam laudarent, & benedicerent. Ipsa intra Ecclesiam in Vigilijs, & orationibus perseverans Missarum solemnia expectabat: deinde infirmos ubique adiuuit, in vicinis visitavit, necessaria praebebat, deinde pauperibus manum porrexit. Hospites, qui semper aderant cum omni largitate suscepit: neminem sine assatu blando dimisit, nullum siue munusculis ferè vel necessarijs adiumentis vacuum reliquit. Saepe viatoribus, quos longius de cella prospexit, necessaria transmisit. Talia opera licet valde humiliter diebus ac noctibus exerceret: nihil tamen de honore regio minuebat, & sicut scriptum est, quamvis sederet; tanquam Regina, circumstante populo, semper, & ubique tamen marentium consolatrix. Domesticos omnes famulos, & ancillas varijs artibus, litteris quoque instituit. Nam & ipsa literas novit, quas post mortem Regis lucidè satis didicit. Ergo si omnes virtutes eius velim narrare, hora deficeret: facundia Homeri, vel Maronis si adesset, non sufficeret. Igitur plena dierum, plena omni honore, plena operibus bonis, & eleemosynis, cunctis diuitijs regalibus distributis servis Dei, & ancillis, ac pauperibus, 2. Idus Martias animam Christo reddidit Relata

C 2

reperi-

VGE

Henri-  
hic ex  
vixit,  
ietate,  
mariti  
o qui-  
elee-  
amen-

m de-  
ssima-  
us Regis  
liquet,  
epositū,  
sors ex  
es, quas  
oru ex-  
am Deo  
nemo-  
cero, si  
foemi-  
ant lib.  
expli-  
? om-  
ellulam  
lebat.

Erat

reperitur in numerum Sanctorum dicta die natalis sui, hoc elogio: *Halberstatti in Germania Dormitio B. Mathildis, Regina matris Ottonis primi Imp. humilitate, & Patientia celebris.*

---

DE OTTONE I.  
IMPERATORE.

VENIO nunc ad Ottonem, Henrici ex S. Mathilda filium primogenitum, quē VVitikindus li. I. vocat *Mundi Amorem*. Princeps ille fuit omni virtute præstantissimus, sed Catholica pietate longè illustrior Imperator, cognomento *Magnus*; Qui vt hoc fœlicior esset Imperij sui administratio, à Deo principium duxit, solenni ritu, & cæremonijs Aquisgrani ab \* Hildeberto, Archiepiscopo Moguntino, accepta licentia à V Vigfrido Archiepiscopo Coloniensi, in cuius diœcesi Aquisgranum existit, inunctus atq; coronatus, an. 936. & tandem Romæ à Papa Iohanne XII. nouis ritibus, cum faustis populi Romani acclamationibus, in dignitate Imperatoria confirmatus, in basilica S. Petri, die Natalis Christi, An. 962. vti tradunt *Frodoandus, Regino, Luitprandus, &c.* Nec obstat, quod initia gubernationis difficillima habuerit, armorum procellis vndique sæuientibus, quibus

\* Otto Frising. lib. 6. c. 19.  
Ditm. li. 2.  
VVitik. 1. 2.



bus non cefsit, fed contrà animo inuictò iuit  
 audentior, & femper euafit fortior. Ille enim  
 eft ordo, & modus Dei fuos exercendi athle-  
 tas, quibus absque magnis certaminibus non  
 elargitur magna præmia. Superatis, & amo-  
 tis impedimentis domesticis, (acres enim illi  
 fuere concertationes cum proprio filio \* Lu-  
 dolpho, cum fratre Germano Henrico, cum  
 fratre confanguineo \* Tanquarto, ex Hatte-  
 burga moniali nato, alijsque principibus co-  
 gnatis, & affinibus) cum externis postea ho-  
 stibus, & rebellibus tota ferè vita, fed victor  
 dimicauit.

Quomodò verò Henricum fratrem, Eber-  
 rardum Ducem, Francorū atque Gisbertum  
 Ducem Lotharingiæ validissimo instructos  
 exercitu, ipse cum paucis manibus miracu-  
 losè in fugam conieceroit, & incruenta parta  
 victoria superarit, operæ pretium est hic e-  
 narrare. Historiam describunt V Vitikindus  
 Saxo lib. 2. Ditmar. chron. li. 2. Sigebertus in  
 suo Chronico ad annum 938. Luitprandus  
 lib. 4. ca. 11. Referam ipsa verba Luitprandi,  
 vt sancta cognoscatur Ottonis pietas, & quid  
 suis ille effecerit precibus: *Rex denique suorum  
 tantam constantiam non sine diuino instinctu con-  
 siderans, quoniam fluuio intercedente corporali  
 presentia suis subuenire non poterat, recordatus  
 populi Domini, qui repugnantes sibi a malechitis  
 orationibus Moysi serui Dei deuicerat, protinus de*

\* Otto Fris.  
 vocat Le-  
 talphum.  
 \* V Vitikin-  
 dus eū vo-  
 cat Than-  
 gmarum li.  
 1. & Thane-  
 marum, lib.  
 2. in princ.  
 Ditmarus  
 Tammonē.  
 lib. 1. & 2.

equo descendit, seque cum omni populo, lacrymas fundens ante victoriferos clauos manibus Domini nostri IESU Christi affixos suaque lancea impostas in orationem dedit; quantumque in se viri (secundum sententiam iacobi) tunc valeret oratio, res manifesta probauit. Eo namque orante cum ex suis nullus occumberet, hostes sunt in fugam conuersi, nonnullique eorum cur fugerent, penitus ignorabant. Ipsam precatiunculam suae historiae inseruit V Vitikindus lib. 2. Domine inquit, omnium rerum auctor & rector, respice populum tuum, cui me praesse voluisti, vt ereptus ab inimicis sciant omnes gentes, vllum mortalium tuae dispositioni contra ire non posse; qui omnia potes, & viuus & regnas in aeternum.

Similiter anno sequente idem Otto eorundem Eberardi, & Giselberti potentissimo exercitu in Alsatia circumdatus, ipse vero cum paucis, quia plerique ex suis ob multitudinem hostium aufugerant, relictus, insigni potitur victoria, non absque miraculosa itidem Dei gratia. Quam referens idem Luitprandus, lib. 4 cap. 16. Eberhardus, inquit, gladijs occiditur, Giselbertus Rheni vndis submergitur &c. ceterorum vero nullus aufugit qui non aut viuus caperetur, aut gladio truncaretur. Vides igitur quemadmodum super Regem tribulantes Dominus manum miserit, quem in vijs suis ambulantem cognouit. Hac parva victoria Imperator ingen-

ingentes recitavit immortalis Regi Deo gratias, & Henrico fratri, ubi stragem istam suorum complicum audiuit, petenti suppliciter veniam, non solum eam clementer indulgit, sed & regionem Lotharingæ pro habitatione insuper concessit. Imò nec sic conquiescentem, ob intemperatam regnandi libidinem, monitu, & intercessione sanctæ Matris eius (Mathildis) profecit eum Regno Bavariarum, Bertholdo iam defuncto pacem, atque concordiam cum eo faciens, quæ usque in finem fideliter perduravit. sunt verba V Vitikindi lib. 3. Magna ea fuit Ottonis clementia animique mansuetudo.

His ita fæliciter peractis, quid deinceps egerit, narrare continuat Vetus Chronologus Adam, Canonicus Bremensis, lib. 2. cap. 2. his verbis: Otto igitur Rex diuino fultus auxilio, quam primum ab insidijs fratrum suorum ereptus est, iudicium & iustitiam populis fecit. Deinde postquam omnia fermè Regna, quæ post mortem Caroli defecerant, suo imperio subiugarat, in Danos arma corripuit, quos antea pater eius bello compressit. Enimverò tunc rebellare moliti Legatos Ottonis cum Marchione trucidarunt, omnem Saxonum Coloniam funditus extinguentes. Ad quam rem vlciscendam Rex cum exercitu statim inuasit Daniam, transgressusq; terminos Danorū apud Schliasvigh

olim positos, ferro, & igne vastauit totam regionem, vsque ad mare nouissimum, quod Northmannos à Danis dirimit: Et vsque in presentem diem à victoria Regis Ottesund dicitur. Cui egressi Haraldus (Rex Danorum) apud Schliasvich occurrens, bellum intulit, in quo vtrisque viriliter certantibus Saxones victoria potiti sunt. Dani victi ad naues cesserunt, tandemque conditionibus ad pacem inclinatis, Haraldus Ottoni subijcitur, & ab eo regnum suscipiens, Christianitatem in Dania recipere spondit. Nec mora baptizatus est ipse Haraldus cum vxore Gunild, & filio paruulo, quē Rex noster à sacro fonte susceptum Suen Otto vocauit. Eo tempore Dania Cismarina quam lutland incolæ appellant, in tres diuisa Episcopatus, Hamburgensi Episcopatu subiecta est, &c. Narrat ibidem simul incrementa, & successus sanctę Dei Ecclesię in Aquilone, quam tunc ibi plantare & rigare viri perrexerunt Apostolici \* Adalgandus.

\* alias Adalgandus.

Idem Adamus capite seq. Ferunt etiam, inquit, eo ipso tempore eundem fortissimum Regem Otonem vniuersos Slauorum populos (Regulo ipsorum occiso, quod addit Sigebertus) sua impe-

imperio subiecisse, quosque Pater eius vno grandi  
 praelio domuerat, ipse Otto tanto deinceps Dei ad-  
 iutorio constrinxit, vt tributum, & Christianita-  
 tem, (quod à patre suo, Rege Henrico, didice-  
 rat) pro vita simul & patria libenter offerrent vi-  
 ctori. Baptizatusque est totus Gentilium populus;  
 Ecclesie in Slauonia tunc primum constructa, de  
 quibus rebus circa finem vt gesta sunt, opportunius  
 sumus aliquid dicturi, &c

Hæc ita prolixè verbis refero antiquissi-  
 mi Historiographi, vt Principes Saxonie co-  
 gnoscant ab Imperatore Ottone Magno eius  
 Religionis veritatem, quam ipse omni stu-  
 dio, & contentione, cum vite sue quoque pe-  
 riculo Daniæ intulit, & ad populos à Chri-  
 stiana fide alienos longè lateque propagauit.  
 Et tam diuinus Imperator adeo litens homi-  
 num salutis, nõ posset eandem fidem Catho-  
 licam, tot præclaris de ea positis relictisque  
 monumētis commendare, ac persuadere suis  
 ex consanguinitate posteris, & Augustæ Do-  
 mus Saxonice hæredibus?

Quod si plura audire libet eiusmodi victo-  
 riarum, quas pijsimus Imperator Otto po-  
 tius precibus, & ieiunijs, quam vi armorum,  
 militumve potentia reportauit, exempla in  
 promptu adsunt. Huius certè, siue Vngaros,  
 rursus in Germaniam, sed longe maiore quã  
 Patris Henrici tẽpore ferocia, impetu, & nu-  
 mero irruentes, quorũ tanta, inquit Frodoar-  
 dus,

\* V Vitik.  
lib. 3.

clus, multitudo erupit, quantam tunc temporis viuentium hominum nemo se antea vidisse in vlla regione profitebatur, prope Augustam miraculosè fudit, & altero adhuc die Ratisbonam vsque insequendo trucidauit, \* tribus eorum Regulis, vtpote belli ducibus, ad perpetuam gentis ignominiam laqueo suspensis. Rex (inquit Frodoardus in chronico suo ad annum 955.) cum tantum exercitum Vngarorum perspexisset, estimauit non posse ab hominibus superari, ni Deus omnipotens eos occidere dignaretur, in cuius adiutorium confidens, suorumque consolationibus Principum roboratus, bellum viriliter cum eis agere cepit, & cum mutua cade vtrobiq; cecidissent, & his interfectis qui ad occisionem à Deo predestinati erant, gloriosa victoria Ottoni Regi à Deo, cui nihil est impossibile, data est, ita vt exercitus Vngarorum in fugam versus, virtutem praeliandi ultra non haberet. Et quamuis incredibilis numerus illorum occisus fuisset, tantus tamen adhuc exercitus eorum remanebat, vt hi qui de propugnaculis Augustæ ciuitatis eos venire conspexerunt, non pugna lacessitos eos redire existimarent, donec prætereuntes ciuitatem, vltiora Lici fluminis litora festinando repetere cognouerunt. Rex autem cum suis eos sequens, & quibus se coniungere potuit, occidens, vespertina hora diei peruenit ad Augustã. Et quali oratione milites suos in tanta necessitate exhortatus sit, refert V Vitikindus lib. 3. Superamur scio, inquit, multitudine, sed nõ virtute, sed

*Sed non armis. Maxima enim ex parte nudos illos  
 armis omnibus cognouimus, & quod maximè est no-  
 bis solatiij, auxilio Dei. Illis est sola audacia pro mu-  
 ro, nobis spes, & protectio diuina, &c. Et bis dictis,  
 arrepto gladio, & clypeo, ac sacra lancea ipse pri-  
 mus equum in hostem vertit. His magnæ pietatis  
 in Ottone exemplum, posteris imitandum  
 addit Historicus Ditmarus, qui circa hæc tē-  
 pora vixit, vtpotè natus (se ipso teste lib. 3.)  
 anno 976. d. 25. Julij, chronici sui lib. 2. Poste-  
 ra die, inquit, id est, in festiuitate Christi Marty-  
 ris Laurentij, Rex solum se præ cæteris culpabilem  
 Domino professus, atque prostratus, hoc facit lacry-  
 mis votum profusus, si Christus dignaretur sibi eo die  
 tanti intercessione Praconis dare victoriam, & vi-  
 tam; quod in ciuitate Mersburgensi Episcopatum  
 in honore victoris ignium construere, domumq; sui-  
 met magnam nouiter inceptam, sibi ad Ecclesiam vel-  
 let edificare. Nec mora erectus à terra, post Missæ  
 celebrationem, sacramq; communionem ab egregio  
 porrecta Othalrico, confessore suo, sumpsit Rex cly-  
 peum, lancea cum sacra milites in hostem proceden-  
 do, resistentemq; primus erupit, ac mox terga ver-  
 tentem vsq; ad vesperam prostravit ac effugauit. Rot-  
 gerus etiã celebris huius victoriæ mentionem  
 faciens in vita B. Brunonis Archiep. Coloniën-  
 sis, apud Sur. tom. 5. d. II. Octob. Imperator, in-  
 quit, iudici sanxit ieiunium ipsa die, quæ tunc erat  
 in Vigilia S. Laurentij Martyris, pro cuius interuentu  
 sibi, populoq; suo, ipsum Deum poposcit esse refugium.*

Impera-

\* An. 966.

Imperator itaque pro tam gloriosa victoria Deo, D. Laurentio, ac omnibus Sanctis immortales agens gratias, Mersburgi ut vouerat, Cathedralē\* erexit, ac fundauit Ecclesiam sub nomine, & patrocinio S. Martyris Laurentij, cuius ope & auxilio se diuinitus adiutum profitebatur. Etenim Sanctos in cœlis, Dei amicos, magna ubique deuotione coluit, solatium, & opem illorum semper expertus. Et ut hoc obiter recenseam: Contigit aliquando uti apud Regin. ad An. Christi 956. videre est, ut grauissima pestis in plagis grassaretur Aquilonis, quâ etiam Otto correptus, saluus euasit intercessione S. Viti Martyris. Quod his quoque narrat verbis qui tunc uixit, V Vitikin. de rebus Saxon. lib. 3. *Eo tempore Imperator & ipse agrotare cepit, sed meritis Sanctorum, quibus fidele iugiter obsequium prebet, maximeq; patrocinio inclyti Martyris Viti, cui aperuit os suum, de infirmitate conualescit.*

Porro hac occasione ulterius aliquid dicendum venit de insigni pietate Ottonis Magni in fundandis, extruendisque Religioni Catholicæ Ecclesijs. Non enim erat satis pijsimo illi Imperatori multos ad societatem Christianæ fidei populos Mauortia manu, magno labore, & periculo suo perduxisse, nisi etiam in necessarias fabricas, & usus Ecclesiarum diuersis in locis Regios omninò sumptus effunderet. Præter eas verò quas  
operâ



operâ Sanctissimorū virorum in Dania Sles-  
 uici, Ripæ, Arhusæ, & Aldenburgi Ecclesias  
 erexit Episcopales, insignes alias in Germa-  
 nia fundauit, & dotauit, de quibus sequentia  
 vetus Historicus narrat Adamus lib. 2. ipso  
 tempore Magnus Otto subuigatis, Christianaq; fi-  
 dei copulatis Slauorum gentibus inclytam urbem  
Magdenburg super ripam Albiæ fluminis \* condi-  
 dit, quam Slauis Metropolim statuens, Adelber-  
 tum summe sanctitatis virum ibidem consecrari  
 fecit Archiepiscopum Is primus in Magdeburg  
 ordinatus duodecim annis strenuè pōtificatum ad-  
 ministravit, multosque Slauorum populos prædicā-  
 do conuertit. Cuius ordinatio facta est anno Impe-  
 ratoris & Archiepiscopi (scilicet Hamburgensis,  
 nomine Adaldagi) trigesimo quinto, & sunt anni  
 post ordinationem S. Ansgarij centum triginta se-  
 ptem Magdeburgensi Archiepiscopatu subiecta est  
 tota Slauonia vsque ad Penem fluum, Episcopa-  
 tus quinque, quorum Merzburg & Tysca super  
Salam flumen cōdita, Misna super Albim, Bran-  
denburg, & Heuelberg inferius vadunt. Sextus  
 Episcopus Slauoniae est Aldenburg: Eum, quod  
 vicinior est nobis, Imperator Hamburgensi Archi-  
 episcopatu subiecit. &c.

Hos, inquam, Episcopatus omnes ab Ot-  
 tone Magno erectos Historici tradunt vete-  
 res, & consentiunt neoterici. Et quia erran-  
 tes tutius credunt suæ sectæ doctoribus, &  
 Historiographis, referā huc ipsissima verba

Eliaë

\*Ditmaru  
 l. 2. in prin  
 addit, in-  
 stinctu cō  
 iugis suæ  
Edithæ,

Eliæ Reufneri, Lutherani, in Academia Ie-  
nenti quondam Professoris, ex opere ipsius  
Genealogica in stirpe V. Vitikindea. *Quid mul-  
ta! Imperium Romanum penè collapsum restaura-  
uit: Germaniam, Galliam, Italiam pacavit: Danos  
Sorabos, Henetos, Bohemos (cum quibus, vt paulò  
supra ibid. ait, semper rebellibus quindecim  
continenter annos acriter conflavit) ad Societatem  
Ecclesiæ perduxit: Ecclesias Episcopales plurimas  
fundavit, utpote Havelbergensem An. C. 946. Al-  
tenburgensem A. C. 948. Misnensem A. C. 958.  
Brandeburgensem A. C. 960. Magdeburgensem,  
Mersburgensem & Zicensem A. C. 968. Eadem  
narrat, licet non ita distinctè, Abrah. Bu-  
choltzerus Calvinista, in suo indice Chro-  
nologico ad annum Christi 936. Porro Zi-  
centem aliquot post annis Echardus nomine  
I. Misniæ, ac Thuringiæ Marchio III. Gun-  
theri Comitis Pleissensis filius, sub Ottone  
Imp. III. Naumburgum transtulit, vbi &  
Ecclesiam Collegiatam S. Georgij fundavit.*

Sunt tamen, qui duas illas, Misnensem quæ  
tunc immediatè Romano Pontifici fuit sub-  
dita, & alteram in Ballersleben terræ Lunæ-  
burgensis, quæ putatur Magdeburgum trans-  
lata, primitus erectas adscribant Ottonis pa-  
tri, Regi Henrico. Crant. in Metrop. lib. 3. c.  
II. Quod vtrumque absque errore dictum  
commodè potest accipi, si intelligatur vel Pa-  
trem prima istarum iecisse fundamenta, & fi-  
lium

liū eas perfecisse, vel filiū eas à patre erectas,  
atq; fundatas amplioribus bonis, & redditi-  
bus locupletasse. Sit vtriq; laus sua. Constat  
eundem Ottonem aliud cœnobium quoque  
Magdeburgi fundasse sub regula S. Benedi-  
cti in honorem SS. Petri & Pauli, & Innocen-  
tij Martyris, cuius ibi reliquias collocavit.  
Ecclesiam verò ibi Metropolitanā, totamque  
adeò ciuitatem tutelæ, & patrociniò S. Mau-  
ritij, legionis Thebæorum Martyrum prin-  
cipis, cuius similiter corpus eò trāstulit, An.  
Christi 961. vt refert Ditmarus, deuotè dica-  
uit; quippe qui Sanctos, Sanctorumque reli-  
quias non minore, quam pater Henricus, ve-  
neratione colebat.

Et certè memoriā dignum est, quod recen-  
set Sigebertus ad an. 969. de Catena S. Petri,  
dum Romę Iohanni Papæ XIII. Otto Impe-  
rator adest. *Quidam, inquit, Comes Ottonis Im-  
peratoris eius familiaris Roma ante oculos omnium  
à diabolo arreptus, ita vt seipsum dentibus discer-  
peret, iussu imperatoris ad Iohannem Papam ad-  
ductus, vt catena S. Petri collo eius circumdare-  
tur. Dum à fallacibus clericis semel & bis, sed  
alia catena furenti adhiberetur, nec quic-  
quam remedij proueniret, vbi nihil virtutis in-  
erat: tandem verà S. Petri catenā allatā, & col-  
lo furentis circumdatā Diabolus spumans, & mul-  
tum clamans, abscessit. Quā catenā Theodoricus  
Metensis Episcopus arrepta, cum diceret se eam,*  
nisi

nisi manu eius abscissâ, non dimissurû: tandē Imperator sedato litigio à Papa Iohāne obtinuit, vt anulum huius catenæ exsectum Episcopus mereretur.

Cæterum sicuti in omnibus suis actionibus, ita maximè in frequentatione cultus diuini fuit admodum pius, qui solebat, inquit, Ditmarus (lib. 2.) in solennitatibus vniuersis ad vesperam, & ad matutinam, atque ad Missam cū processione Episcoporum venerabili, deindeque cæterorum ordine Clericorum cum crucibus, sanctorumque reliquijs, ac thuribulis ad Ecclesiam vsque deduci: hicque cum magno Dei timore, qui est principium sapientiæ, staret atque sederet, vsque dum finita sunt vniuersa, nil loqui nisi diuinum, ad caminatam suimet cum luminaribus multis, comitatuque magno sacerdotum Ducum, ac Comitum remeabat &c.

Iam verò quam fuerit liberalis, & munificus erga diuersas Ecclesias, prolixè commemorat Crant. in Metrop. Sax. lib. 3. c. 25. & imprimis omnium Matrem ac principem, Romanam, cui ea omnia, quæ antecessores Imperatores, & Reges bona contulerunt nouo diplomate ipse confirmauit, maioribusque ac pluribus donis ex proprijs, & patrimonialibus adauxit, per modum extractus, huc inde repetam. Integrum qui legere volet, annales inspiciat Cardinalis Baronij ad annū Christi 92. qui eius Autographum, aureis exaratum litteris, asserit Romæ custodiri in Castello

Stello S. Angeli, duo verò alia authenticæ fidei inde exscripta exēplaria exstare in Bibliotheca Vaticana, è quibus ista.

In nomine Domini Dei omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Ego Otto Dei gratia Imperator Augustus, vnà cum Ottone glorioso Rege filio nostro, diuinâ ordinante prouidentia, spondemus, atque promittimus per hoc pactum confirmationis nostræ tibi B. Petro, Principi Apostolorum, & Clauigero Regni calorum, & per te Vicario tuo Domino Iohanni summo Pontifici, & vniuersali XII. Papa, sicut à prædecessoribus vestris vsque nunc in vestra potestate atque ditione tenuistis, & disposuistis ciuitatem Romanam cū ducatu suo, & suburbanis suis, atque viculis omnibus, & territorijs eius montanis, & maritimis litoribus, atque portibus, seu cunctis ciuitatibus, castellis, oppidis, ac viculis, &c. Nec non Exarchatum Rauennatem sub integritate, cum vrbibus, ciuitatibus, oppidis, & castellis, quæ piæ recordationis Domnus Pipinus, & Domnus Carolus excellentissimus Imperator, prædecessores nostri B. Petro Apostolo, & prædecessoribus iam dudum per donationis paginam contulerunt, &c. Insuper offerimus tibi B. Petre Apostole, Vicarioq; tuo, Domino Iohanni Papa, & successoribus eius, pro nostræ animæ remedio, nostriq; filij, nostrorum parentum de proprio nostro Regno Ciuitates, & oppida, cum piscarijs suis, id est, Reatem, Amiternū, Furconem, Nursiam, Baluā, & Marsim, & alibi ciuitatē interamnem, cū pertinentijs suis.

D

HAS

Has omnes supradictas prouincias, vrbes, ciuitates, oppida, & Castella, viculos, & territoria, simulque & Patrimonia, pro remedio animæ nostræ, & filij nostri, siue parentum nostrorum, ac successorum nostrorum, & pro cuncto à Deo conseruato atque conseruando Francorum populo, iam dictæ Ecclesiæ tuæ B. Petre Apostole, & per te Vicario tuo, Spiritali Patri nostro Iohanni Summo Pontifici, & Vniuersali Papæ, eiusque successoribus, vsque ad finem seculi, eo modo confirmamus, vt in suo detineat iure, principatu, atque ditione, &c. Quæ Cæsaris ordinatio prolixius eodem diplomate extenditur, confirmatur, & his verbis concluditur: Hoc vt ab omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, & nostris firmiter esse credatur, propria manus signaculo, & Nobilium Optimatum nostrorum subscriptionibus hoc pactum confirmationis nostræ roborauimus, & bullæ nostræ impressione obsignari iussimus.

Signū Domni Ottonis Serenissimi Imperatoris.

Signum Adaldagi Hamburgensis Archiepiscopi.

Sequuntur signa aliorum Episcoporum, Abbatum, & Comitum. Anno Dominicæ Incarnat. 962 Indict. 5. mense Febr. 13 die eiusdem mensis, Anno vero Domni Ottonis Imperij 27 facta est hæc pactio fœliciter.

Ab hoc, inquam, Ottone meritò Saxonix Principes scrutari, & cognoscere possunt, Catholicæ Religionis veritatem, ad quæ etiam paulò ante An. 960. vt verbis vtar Lamberti Schaff.

Schaff. Venerunt Legati Rusſiæ gentis ad Regē Ottonem, deprecantes, vt aliquem ſuorum Episcoporum transmitteret, qui ostenderet eis viam veritatis. Qui conſenſit deprecationi eorum, mittens Adelbertum Episcopum fide Catholicum.

Sed qui ad magnam vsq; ſeneſtam laudabilem vixit vitam, non diſparem fortitus eſt vitæ quoq; finem, mortē, Magnus ille Imperator Otto, de cuius obitu hæc in ſua h ſtoria ſcribit V Vitikindus lib. 3: circ. finem. Tertia feria ante Pentecoſten loco aduenit, qui dicitur \* Mileua proxima nocte iuxta morem diluculo de lecto conſurgens, nocturnis & matutinis laudibus intererat. poſt hæc paululum requieuit. Miſſarū di- inde officijs celebratis pauperibus iuxta morē manus porrexit, paululum guſtauit, iterumq; in lecto requieuit. Cum autem hora eſſet, proceſſit letus, & hilaris ad menſam reſedit, peracto miniſterio, veſpertinis laudibus interfuit. Facto cantico Euāgelij aſtuari atq; fatigari iam cœpit. Quod cum intellexiſſent Principes circumſtantes ſedili eū impoſuerunt, inclinantem autem caput, quaſi iam deſeciſſet, refocillauerunt. Expetitoq; Sacramento diuini corporis, & ſanguinis, & accepto, ſine gemitu, cum magna tranquillitate vltimum ſpiritum cum diuinis officijs pietati Creatoris omnium tradidit. Eadem atteſtatur Ditmarus, eiufdem ſæculi ſcriptor, Chron. lib. 2. ad finem.

Hic eſt exitus Magni Ottonis, qui in vita ſua multum ſe mouit, & fatigauit pro pace,

D 2

&amp; incre-

\* Mimmeleba, vel vt Schaffn. habet, Mielieba.

& incremento militantis in terris Ecclesiæ, adeoq; totius sacri Romani Imperij; ille quasi per somnum, & dulcissimam quietem ad Ecclesiam triumphantem, & supernum Regnum Christi (quod piè credimus) concessit: quem meritò inclyti Saxonix Principes in familia sua Imperatorem magnum pietate, virtutibus, & rebus gestis celebrare, imitarique possunt, qui Catholicę Romanę Religionis fatis multa, & præclara post se reliquit per omnium historias testimonia; quod ibidem quoq; ad laudes defuncti adiicit eiusdem seculi scriptor V Vitikindus, Monachus Corbeiensis, hic minimè tacendum. Itaq; defunctus est Nonis Maij (An. Christi 973.) quarta feria ante Pentecosten Imperator Romanorum, Rex gentium, diuinarum, humanarumq; rerum multa religiosa seculis relinuens monumeta: Sepultus Magdeburgi in æde Metropolitana, hoc eius sarcophago inscripto dyticho:

*Tres luctus causa sunt hoc sub marmore clausa,  
Rex, decus Ecclesiæ, summus honor patriæ.*

Refert etiam Ditmarus loco supra notato, quali in viuis uti solebat symbolo, quoties res ipsi succedebant prosperè; si vel triumphos, & spolia ab hostibus, vel laudes, & Epinicia ab Amicis reportabat; quoties magnis alijs cumulabatur à Deo beneficijs, nempe isto, quod fuit olim Regis Dauidis: *Non nobis Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam. Defuncti*

*Psal. II 3.*

functi  
Catho  
mis pi  
mend  
ibidem  
rò pro  
Impera  
valet co  
foemin  
dis, inc  
interim  
busq; pe  
oppet y  
ma Do  
ratur m  
annum

D

SE  
S fili  
stione  
puit, v  
& pœr  
acciper  
eà quo  
ceps fr  
militie  
talem



functi postea corpus Imperatrix Adelaidis  
 Catholico ritu terræ; animā autem Deo sum-  
 mis pietatis officijs studiosè ac deuotè com-  
 mendauit, quod idem V Vitikindus affirmat  
 ibidem, & Ditmarus his verhis: *Quantum ve-  
 rò pro liberatione animæ senioris suimet Adelheidis  
 Imperatrix inuigilauerit vsque in finem, dictis non  
 valet comprehendī, nec factis.* De cuius sanctæ  
 foeminæ obitu idem Ditmarus lib. 4. *Adelhei-  
 dis, inquit, Imperatrix urbem, quæ Olsa vocatur,  
 interim edificans, collectis ibidem Monachis, omni-  
 busq; perfectis, in eodem anno 16 Cal. Ian. gaudens  
 oppetiit, cuius fideli seruitio iusta recompēsas præ-  
 mia Dominus, ad tumbam eius plurima hodie ope-  
 ratur miracula* Lamb. obitum illius refert ad  
 annum sequentem.

---

## DE HENRICO RIXOSO.

SECUNDVS Regis Henrici ex S. Matilde  
 filius fuit Henricus, qui prauorum sugge-  
 stione arma contra fratrem Ottonem corri-  
 puit, vnde *Rixosus* appellatus est, sed victus,  
 & pœnitens, non solum rebellionis meruit  
 accipere veniam, sed & Lotharingiæ, ac post-  
 eà quoque Bauariæ prouincias: fidusq; dein-  
 ceps fratri Imperatori in perpetuum adhæsit  
 militiæ comes, & victoriosus belli Dux, mor-  
 talem exuens vitam Ratisbonæ, An. Christi

955. sepultus in Ecclesia S. Haimerami. Huius propterea mentionem facio, quia avus fuit S. Henrici Imp. de quo suo loco.

DE B. BRVNONE, ARCHIEPI-  
SCOPO COLONIENSI.

**T**ERTIUS fuit Bruno, dignus S. Matilde filius, qui ipsam sanctitatem, & pietatem ex matris vberibus suxisse videtur. Intueamur itaque personam, & videamus vitam eius. Is statim, & professione pastor fuit, & re, ac opere magnus Catholicae veritatis doctor, magnus, ut ait *V Vitikindus, ingenio, magnus scientia, & omni virtute, ac industria*, qui ideirò eam non solum vitæ exemplo, sed & verbi prædicatione Saxones, & multos alios, quod in viuis præstitit, optimè docere poterit. Vfus ille fuit ab ineunte ætate Balderico, Episcopo Traiectensi, & Israele Scoto, præceptoribus, quibus magistris & in doctrina, & in pietate egregiè profecit. Sacris initiatus, primum Abbas iuisse, & consedisse cum alijs Episcopis, & Abbatibus in synodo Virdu-nensi legitur apud Frodoardum in Chron. ad A. C. 947. lib. 4. c. 34. hist. Eccl. Rhem. postea electus, & consecratus, V Vicfredo mortuo, Archiepiscopus Coloniensis, A. 953. Quo tempore statim ab ipso Legatos Romam ad Papam Agapetum II. pro impetrando pallio, & Apostolica benedictione missos, narrat his

\* Lib. 3.

rat his verbis Rotgerus in vita S. Brunonis, c. 23. apud Surium to. 5. d. II. Octob. *Seruus Domini Bruno secundū dignitatem sedis suae, Romanae quoq; Sedis, & Apostolicae Benedictionis priuilegijs debuit insigniri, & cum eis pariter qui traditam à B. Petro Apostolo sanam seruauere doctrinam, Catholicae fidei integritate in vera Confessione, & inuolabili veritate praedicationis vniri.* Synodicam suam epistolam per *Hadamarū*, venerabilē *Fuldensis* monasterij Abbatem, Romā ad *Agapetum*, mirae sanctitatis Papā direxit, in qua cuius spiritus esset, innotuit; appellatusq; est ibi cōcors, & conciuis Apostolorū princeps, & propagator Domini praeceptorū. Et paulō post: Legatus Romā rediens bonum nūcium Coloniam ferre accelerauit, portans sacrum habitum ab *Vniuersali Papa* missum: Item: Ferens simul reliquias de proprio corpore *S. Pantaleonis* Martyris, & priuilegium *Apostolicae sublimitatis* auctoritate traditum, &c.

Quorsum haec? vt cōstet omnibus, qualem in viuis praedicauerit fidem, ac religionē subditis suis *B. memoriae Bruno*, nēpe *Catholicā Romanā*: eā viuā voce docuit, & scriptis consignauit. Et quidē pro concione valdē facundus dixisse fertur, scripsisse verò commentarios in pentateuchū, & in quatuor Euangelistas, quos mihi nō licuit videre. Magnus erat librorum amator, & congestor, ita vt semper secum assumeret, & haberet bibliothecam, praecipuam tamē ponens curam in visitandis

& corrigēdis suæ Diœcesis Collegijs, & Monasterijs. Vitæ, ac vestium luxum valdè ex-  
 crabatur, & suo exemplo alios ad bonos vitæ  
 mores prouocare studuit. Mirè deuotus in  
 SS. reliquijs colligendis, & honorandis, cuius  
 diligentia Colonienſes acceperunt S. Petri  
 Apostoli baculum, partemque catenæ: item  
 corpora, & ossa Sanctorum Martyrum Eli-  
 phij, Gregorij Spoletani, & Euergisli, &c. Ce-  
 lebrem quoq; Abbatiam S. Pantaleonis, quæ  
 Colonie, & collegiatam Ecclesiam, quæ Sulati  
 est, ipse fundauit. Multa quoque temporalia  
 bona & beneficia Coloniēſi ciuitati, & Diœ-  
 cesi contulit; primusque in ordine Archiepi-  
 scoporum Colonienſium extitit Dominus in  
 temporalibus. Tandē pijsſimus Præſul\* Com-  
 pendium in Gallia ad conciliandos nepo-  
 tum ex ſororibus diſſidentium animos pro-  
 ſectus, cœpit Rhemis infirmari, ſentiens, ac  
 prædicens corporis diſſolutionem, & mox  
 præuia confessione ſacram expetiuit Eucha-  
 riſtiam, Extremamq; vnctionem, quibus de-  
 uotè acceptis, mediâ nocte obdormiuit in  
 Domino quinto morbi die, d. ii. Octobr. An.  
 965. quod quoq; teſtatur in Chronicis ad di-  
 ctum Chriſti annum Regino, cuius iſta ſunt  
 verba: *Eodem anno Bruno Archiepiſcopus Colo-  
 nienſis, germanus Ottonis Imp. vir ducatu pariter  
 & Episcopatu digniſſimus, 5. Id. Octob. obiit. Cor-  
 pus eius translatum eſt Coloniam, & honori-*  
 ficè

\* Crantz.  
 Sax. lib. 4.  
 c. 13.

ficè conditum in sua Ecclesia S. Pantaleonis. Fertur illius, dum viueret, Symbolū fuisse; *Vt sis, quod vocaris, cura.* vel illud Martialis: *Quod sis esse velis, nihilq; malis.* Præfuit suo Archiepiscopatu annis 12. & paulò amplius. Singula hæc prolixè & accuratè narrantur à cœuo Monacho Pantaleonita, Rotgero, in vita B. Brunonis.

---

DE LVDOLPHO.

**H**ÆC de filijs Regis Henrici; dicendum nunc venit paucis de filijs Imperatoris Ottonis. Duas ipse habuit ordine coniuges; ex priori Editha, Edmundi Anglorum Regis filia, genuit Ludolphum, de quo suprà dictum est, quod contra patrem rebellis armatulerit, *malorum*, vt ait Ditmarus lib. 2. *depravatus consilio*, hîc dicendum, quod ante mortē operâ, & intercessione B. Brunonis sui patrui, S. Vdalrici, & religiosi Hartberti, Episcopi Curienfis, eidē patri reconciliatus fuerit, vt referunt *Rutgerus & Marianus*. Hic Ludolphus genuit Ottonem, patrē Brunonis, Romani postea Pōtificis, de quo suo loco infra.

---

DE VVILHELMO, ARCHIEPISCOPO MOGVNT.

\* SVNT qui ex eādē Editha progenitum \*El. Reusn. Stradunt VVilhelmū. Sed ex V Vitikin- in stirpe do scri- V Vitikin.

do scriptore synchrono, itemq; ex Ditmaro Merispurgensi Episc. qui sub idē tēpus vixit, fuitq; de cognatione, cōstat eos errare. Vterq; enim Ottoni I. duas ordine coniuges Edithā & post eam Adelheidē, feminas sanctas, attribuunt, & ex singulis quos genuerit liberos enarrāt, quos inter V Vilhelmus nō reperitur: imō ex Editha filiū expressē vnicū nomine Ludolphum, V Vilhelmū verō ex nobili Slavonica capta (quam non nominant) prognatū referūt, V Vitikindus lib. 3. circa finē his verbis: *cuius mater, licet peregrina, nobili tamē genere erat procreata*, &c. Et Ditmarus lib. 2. nō procul à fine. Fuit tamē is reuerā dignus Ottone M. filius, cuius memoria in benedictione est. Et qualis, videamus. Imitatus est per omnia patruū suū Brunonē, Archiepis. Colonienf. suisq; similiter virtutib<sup>9</sup> ad summū peruenit sacerdotalis dignitatis culmē, electus mortuo Frederico ex Ducibus Lotharingiæ, Archiepis. Mogunt. die, quē ipse propriā manu cōsignauit 17. Ian. An. 954. siue vt ipsius chirographum apud Marianū Scotum habet: *tante sedis decimo sexto Kalend. Ian. (ipsoq; die pace inter regem Ottonem, & filium Lutholphū facta) in loco Aranstedi sum electus, & die 9. Cal. Ian. Moguntia ordinatus* Quæ de eo vera testatur Lambertus, & Lamberto antiquior Ditmarus, loco prædicto. *Fridericus, inquit, \* Archiepresul xvij. ordinationis sue anno vir abstemius obiit,*

\* Mogunt.

obiit. & *Vilhelmus de matre quāuis captiua, tamē nobili, & Slauonica, & ex Rege predicto genitus, vice eius ordinatur An. Dominica incarnationis 954. Summi. Noperē cōmendatur ipsius morum suauitas, prudentia animi, deniq; pietas. S. Adelbertū Rugorū Episcopū, pulsum à barbaro isto populo in exiliū, nōnullis ex suis occisis, quē Otto pater benignē excepit, hic Wilhelmus, eius filius, honorificē apud se fouit, & detinuit; donec ei de Abbatia Burgēsi, quā non diu post vacare cōtigit, prouiderit. Breuiter his ipsū verbis describit V Vitikind. li. 3. circ. finē: Eodem tēpore quo hac intra Italia gerebatur, Summus Pontifex *Vilhelmus*, vir sapiens, & prudens, pius, & cunctis affabilis, à patre sibi commendatum regebat *Fran. orum imperium*. Sunt, qui referunt ipsum \* Erphurdia cōdidisse. Obiit anno 968. vt refert Lamb. d. 2. \* Martij, cupiens auiam suam, sanctam Mathildem infirmantem pio affectu inuisere, quæ funus illius anno sequēte, 14. eiusdē mensis subsequuta est: quod his narrat verbis V Vitik. ibidē. Hic cum audisset egrotare matrē imperatoris, mira sanctitatis scēmiā, nomine *Matildē*, dūq; eius exspectat funus, proprio funere ipsius funus pcedit.*

\*El. Reusn. in itirpe Witik. & Petrus Albinus in Chron. Misnicis. \* Ditm. Chron. li. 2. circa med.

### DE OTTONE II. IMPERAT.

Ex secūda vxore Adelheide, Rudolphiregis Burgundię filia, natus est Ottoni filius Otto, postea Imperator II. cognomento *Rufus*.

*fus*, Septennis à patre Imperij confors assum-  
 ptus, & sicut apud Lambertū legimus ad an.  
 967. deducente eum Romā prædicto V Vil-  
 helmo fratre, à Iohanne Papa XIII. coronā  
 Cæsaris exornatus: prima militiæ tyrocinia  
 viuentē patre magna cum laude fecit aduer-  
 sus Saracenos, & Græcos ob violatos Lega-  
 tos. Patre defuncto solus imperans, *Hericum*,  
 Henrici Rixosi filium, Bauariæ *Ducem*, pa-  
 truelem suum, turbas excitantem, prouincia  
*expulit*, \* *Otoni*q<sup>3</sup> *Duci Boiariam commendauit*,  
 (sunt verba Lamb. ad an. 976.) Danos rebel-  
 les rursus iugo subdidit. Lothariū verò, *Frā-*  
*corū Regem*, qui graui ipsum iniuriā offen-  
 derat, inuadens Lotharingiam, & occupans  
 Regium Aquisgrani palaciū, vbi tribus die-  
 bus sedit, repente profligauit, & *festinato*, vt  
 Lamb. habet ad an. 978. *cum exercitu insecutus*  
*est Lutherium vsque in Sigonem fluum, & vsque*  
*ad S. Dionysij cœnobium, eumq<sup>3</sup> non apprehendit,*  
*quia fugiendo euasit.* Reuersus est tamē, & Ot-  
 tonem terga vertentem vicissim insecutus;  
 vbi Otto cum suis non absq; miraculosa ope  
 ad preces S. V Volfgangi, Episcopi Ratisbo-  
 nensis, præeuntis, flumen quod præter morē  
 subito inundauerat, saluus transiuit, quam  
 historiam his verbis describit vetus author  
 apud Baron. ad annum 978. *Cum Otto Secun-*  
*us Imperator ob illatam ipsi iniuriam, Franciam*  
*Hostili animo, & manu ingressus Lutetiam vsque*  
 perue-

\*Ludolphi  
 filio, patri  
 Brunonis,  
 qui postea  
 Papa fuit,  
 nomine  
 Gregor. V.

*Regiam*



peruenisset : in reditu ad fluuium quendam peruenere, cuius aquæ intūuerant, ita vt multi illic mergerentur. Vbi autem Beatus Antistes cum suis edperuenit, tum præseni periculo commotus suspexit in cælum, & tum sibi, tum suis benè precatus, atq; benedicens, iussit suos incunctanter transire flumen. Sed illis adhuc cunctantibus, & Francis interim à tergo acriter instantibus: ille primus in nomine Domini (quod semper in eius versabatur ore) fluuiū ingressus, suos animauit. Nec quicquam eorum vllū experius est pericūlum. Tunc verò omnes id admirantes præ gaudio in Dei laudes eruperunt. Contra verò, eos qui Ottonem insequabantur apud flumen miserè perijsse tradit Aimoinus lib. 5. c. 44. Ita vt hæc historia perquam similis videatur deductioni populi Israelitici per mare rubrum. Exod. 14. quam exultans toties in psalmis suis decantat Rex Dauid ps 104. 105. 134. 135.

Catholica huius Ottonis pietas etiã inde patet, quod præclara solitus sit impertire Ecclesijs priuilegia. Diploma monasterio S. Vincentij ad fontes Vulturni posito concessum, sic incipit: *Si Ecclesiarum Dei curam habere studuerimus, procul dubio imperium nostrum stabile erit, insuper & vitam aeternam promereri credimus, &c.*

Sed quæ in fine vitæ Ottonem fortuna oppressit aduersa, & ob quam causam immiffa, non inutiliter hic ad exemplum posterorum

FUM

rum commemorabitur. Contigit Anno 981. ut notat Lambertus, mori S. Adelbertum, primum Magdeburgensem Archiepiscopum, cui tunc ex promotione Ottonis, succelsit

\*alias Gis-  
lerus.

\* Hilfillarius, Episcopus Mersburgensis, destructo sequente anno Mersburgensi Episcopatu, quem pater Otto I. S. Laurentio in victoriæ laudem, & gratiarum actionem erexerat: bonis verò illius omnibus ad Magda-

burgensem Ecclesiam transportatis. Et qua auctoritate id à filio factum? propria, profana, nulla. Ex qua causa? ex nimio amore, & studio d. cti Hilfillarij. Quid hinc euenit Ot-

toni II? Calamitosus vitæ exitus. Etenim eodem anno 982. rursus contra Saracenos, & Græcos maximo cum exercitu proficiscitur.

In quo bello, ait Sigebertus, omnes Romanorum copte vsque ad interneccionem penè deletæ sunt.

Imperator natando nitens euadere; à nautis ignorantibus eum, capitur. Et

\*natus Anno 1028.

ut \* Marianus, eius propè temporis scriptor, ait: Otto imperator apud Calabriam occiso à Græcis exercitu eius de nauis exiliens natando aufugit.

Et Leo Ostiensis; in eo, inquit, prælio Landulphus, prim. eps Capuanus, cum fratre Arnulpho, & alijs plurimis corruit.

Insuper verò Lambertus: in quo prælio occisus est Henricus Augustensis Ecclesie Episcopus, cum plurimis alijs Episcopis: In quo etiam prælio Idus Julij occisi sunt milites fortissimi, Hi scilicet:

licet: Vdo, Geberhardus, Guntherus, Berthol-  
 dus cum alijs multis, & Otto Dux, atque VVern-  
 her Abbas Fuldensis ipse Imperator viâ Comi-  
 te vix euasit. Benè dicit VIX. quia Romam  
 rediens mœrore confectus, exspirauit 7.  
 idus Decemb. Anno seq. 983. ætatis 30.  
 Imperij sui 10. additis 7. mensibus & d.  
 1. Sepultus in atrio Ecclesiæ B. Petri Apo-  
 stoli.

In qua clade Otto sanctum Lauren-  
 tium, grauisimum Vindicem passus est,  
 & Vltorem destructæ Cathedræ Mersbur-  
 gensis: quam cladem cuidam Episcopo in  
 Visione nocturna antè ostensam, & Ot-  
 toni relata, refert qui isto tempore vixit  
 Author, qui res gestas sancti Adalberti  
 conscripsit, apud Surium tom. 2. d. 23.  
 April. Visio autem talis fuit. Nocte intempe-  
 sta, quando altus sopor solet occupare homines, vi-  
 dit visum de quo agimus, Regem Ottonem aureo  
 solio sedentem, sub pedibus eius argenteum scabel-  
 lum, Episcoporum & astantium procerum circa  
 ipsum, prospexit seriem longam. Intrauit autem  
 decora facie, instar ignis, iuuenis, quem niuea ve-  
 stis vestiuit, & purpurea stola in pectore cinxit.  
 Nec stat, via vadit, argenteum scabellum sub pedi-  
 bus Cesaris cum indignatione subtrahit, & auerso  
 vultu ianuam petit. Quod agrè ferens, post il-  
 lum cucurrit, tale somnium cernere qui meruit:

Quæso

Quaeso inquit Domine mi, dedecus ne facias, suppēdaneum reddas quisquis es, qui tanta audes, obsecro, Regem coram populo ne confundas (hæc magna potentis Laurentij aurea persona erat, sicut illi Episcopo post agnoscere Deus concesserat) imò inquit, si meum dedecus non emendat, maiora faciam, subtracto scabello, ipso solio deponam. Huius visionis terrores, minasque exitiales cum cognouisset Rex puer facinus non correxit, siue amor hominis suavit, siue ira Dei iratusit.

Otto igitur in tantis aduersis vt paulò antè habet idem author, illum circumfluentibus non resipiscit: quid contrarium ministerio æterni Imperatoris egerit, quid pio Laurentio peccauerit, non recognoscit: Episcopatum, quem pater in sacrum honorem pretiosissimo Martyri erexit, ambitione suorum in peccatum ductus destruxit, non faciens ordinem; quasi qui aquam in mare fundit, Episcopatum deiecit, vt plenum delicijs Archiepiscopatum ditaret. Tulit Episcopum optimo Laurentio, posuit \* Parthenopoli Archipræsulem nostro Mauritio. Factum est contra ius in Ecclesia Dei, donec adueniens nouus Rex, & religiosissimus veterem errorem correxit. Post tres Ottones Henricus Christianissimus ecce venit, qui malefacta correxit.

Historia notatu omninò digna, vt huius Ottonis exemplo Principes, Reges, & Imperatores perpendant, quam periculosè, & quanta cum iactura corporis, & rerum, animæque

\* Magdeburgi.

mæque dispendio Ecclesiasticis se rebus im-  
 misceant etiam cum quid rectè, Deoque gra-  
 tum facere se existimant. Non iste Otto i-  
 psam religionem destruxit, non bona Eccle-  
 siæ abstulit, sed ea illicitè, & inordinatè vnus  
 cum alia coniunxit. Quid fiet illis, qui Eccle-  
 siæ & bona, & religionem simul auferunt?  
 Caueant itaque, & exhorreant moderni  
 Principes, Dei, sanctorumque eius incurrere  
 iram, quæ si tardè venit, nec præueniente pæ-  
 nitentiâ placatur, tandem pænæ grauitate  
 compensatur.

Ne tamen hunc Ottonem omni in fine  
 spoliemus laude Catholicæ religionis, & pie-  
 tatis, ecce misericors Dominus indulgit ei ab  
 hac clade spacium pænitiæ in sequentem  
 vsque annum, (quo etiam vt Sigebertus ait:  
*Theodoricus Metensium Episcopus obijt. & secun-  
 dum prophetiam viri Dei, vix aliquis Principum,  
 qui in bello Calabrico euasit, diu superuixit*) de-  
 ditque Ottoni cor prouidum, & pænitens,  
 quo & delicta per confessionem, & elee-  
 mosynas piè expiauit, & Imperio de suc-  
 cessore sollicitè prouidit. Etenim Ditma-  
 rus, qui hanc historiam præ cæteris diligen-  
 tiùs consignauit, refert ad finem lib. 3. Otto-  
 nem post acceptam cladem Veronæ comitia  
 celebrasse de eligendo, sibi que substituendo,  
 filio Ottone III. Imperatore; quam patris  
 voluntatem, & sententiam Benedictus Papa

VII. eodem anno comprobavit. Romæ autem paulò post Otto ægrotans, quid egerit, & qualiter se gesserit, dicat nobis idem Dithmarus, qui tunc vixit, quique quæ vidit, & audiuit, fideliter annotavit, ibidem. Imperator cum Romam veniret, relicta matre sua Venerabili in Papia ciuitate grauius infirmatus est, & vt extrema presensit adesse, omnem suimet pecuniam partes diuidit in quatuor, vnã Ecclesiis, secundam pauperibus, tertiam dilectæ suimet sorori Mathidæ, quæ Abbatiam in Quedilingeburg deuota Christo famula obtinuit, quartam suis tristibus donauit ministris, & militibus. Facta aq; latialiter Cõfessione coram Apostolico, cæterisq; Coepiscopis, atq; Presbyteris, accepta ab eis optata remissione septimo Idus Decemb. ex hac luce subtraetus est terraq; commendatus ad introitum Orientalis Paradisi domus S. Petri cunctis patet, fidelibus, & imago Dominica honorabiliter formata venientes quosq; stans benedicit.

---

DE THEOPHANIA CONIVGE  
OTTONIS II.

IMPERATRIX quoq; Theophane, Ottonis vidua, non fuit negligens in exsoluendo pietatis officio pro defuncto suo marito, de qua hæc vetus refert author, qui vitã scripsit S. Adelberti Episcopi Pragensis apud Sur. d. 23. April. tom. 2. *Græca Imperatrix Augusta, quæ iam*

iam longos dies fleuit, sepulti coniugis memoriam reparat, dulcem Ottonem eleemosynis, & orationibus celo commendat. Quæ etiam ubi cognoscit S. Adelbertum, à Bohemis impijs in exilium pulsum, Romæ præsentem adesse, supplicat illi, & larga dat munera, ut orare dignetur pro defuncto coniuge quod infra ibidè his extat verbis: *Sed peccatum quod viuens Otto neglexit, mortuo marito emendare vxor superstes instabat. Legatos mittit & eleemosynas, orationes multorū querens, per quos propitium Redemptorem appellaret, & peccatorem Regem ab incendio liberaret.* Hac tum ubi sanctum virum adesse cognouit Adelbertum, nominatissimum Episcopum, & Hierosolymam properare audiuit: clam ad se vocat, oransq; ut pro anima Senioris rogaret, massam argenteam obtulit ingentem. Vbi accepit vir Dei omnis argenti suo itinere, aut necessitati parum prouidens, omnia, sequenti nocte pauperibus expendit. Obijt illa Anno. 991. Nouiomagi, sepulta Colonia in æde S. Pantaleonis.

---

DE OTTONE III. IMPERATORE.

**V**ENIO nunc ad Ottonem III. Ottonis II. ex Theophania, Nicephori Imperatoris Constantinopolitani priuigna, filium, de quo, opera & studio patris, consensu verò, & approbatione Papæ Benedicti VII. Ve-

ronæ electo Rege, & Aquisgrani, coronato hæc prodit Ditmarus Chron. lib. 3. ad finem. Huius, inquit, inclyta proles nata sibi in Sylva quæ Ketil vocatur, in die proximi Natalis Domini à Villegiso Magociacense in Regem consecratur Aquisgrani, & completo hoc officio mox legatus tristi nuncio tanta perturbans gaudia aduenit.

Non longo ab hinc tempore, anno scilicet 996. mortuo Papa Iohanne XV. contigit oriri schisma in Sede Apostolica, insurgente contra electum Brunonem, dictum Gregorium V. Philagatho, Episcopo Placentino, nominato, dum in Sede per quatuor circiter menses federet, Iohanne XVI. quem creauerat, intruferatque Crescentius, Senator Urbis diues, & præpotens. Qua occasione Otto, Rex nuper in Germania coronatus, patre defuncto, in tantis turbis Romam vocatus ad tollendum schisma, nouis solennitatibus, tranquillata iam Ecclesia, Imperator à Gregorio Papa V. die Pentecostes, qui fuit 9. Iunij, Anno prædicto 996. inauguratur, & benedicitur, de qua re hæc leguntur in gestis \* S. Adelberti Episcopi Pragensis. In purpuratus Otto Rex III. causa scandendi imperij culmen ( vt mos est à Carolo Magno Regum Francorum ) multo comitatu Romam venit, optatum diu caput Latine terre. Ostendit se quasi post Deum altera iustitia veniat, iniquis

\* in vita S. Adelberti apud Surium, tom. 2. mense Aprili, pag. 834.



iniqui omnes tremunt, boni magno gaudio gaudent. Fecit propter quod venit. Quem ipse in Sacellum suum tractum posuit Papa Gregorius Casarem, benedixitque: & populus Kyrie-eleison celsa voce cantavit. Ascendit ille unctus cum corona Imperij Imperator Augustus, gerens sidereos vultus, & bonæ voluntatis plena præcordia ferens.

Hic quidem Otto ob prodigiosam Sapientiam, præsertim in ætate adhuc iuuenili, stupendaque facta, quæ humanam sortem excedere videbantur, cognomen traxit \* *Mirabilia mundi*, de quo Gerbertus Aurelianensis in act. Rhem. c. 28. *Succedit, inquit, Ottoni Caesar Otto, natura, ætate cunctos Principes, armis, Consilio & scientia superans. Certè terribilis fuit, & in puniendo aliquanto seuerior, nimisque præceps. Constat enim, qualiter non solum Crescentium prædictum, vltro, & sponte ex Castello S. Angeli, in quo se contra violentiam Ottonis, ad urbem cum exercitu aduentantis, occluserat, exeuntem, ipsique Ottoni pro vita supplicem, reductum in idem Castellum ex quo se defendentem, manu militum exsuperatum & captum, aperte de summitate eius præcipitari fecit, sed etiam primitus iussit, vt Glaber inquit, lib. i. c. 4. comprehendere illum male securum Pontificem, videlicet Crescentij arrogantia constitutum, comprehensumque, & præcepit eius manus*

\* Otto  
Fris. lib. 6.  
c. 26.

quasi sacrilegas amputari, deinde aures abscindi, atque oculos euelli: quem insuper vt B. Petrus Damiani in Epist. 2. ad Cadolaum refert, taliter mutilatum Romani, vt magis complacerent Imperatori, mox antè, retrò conuersum in asello gloriosum equitem posuerunt, tenentemque sui vectoris caudam in manibus, per publicam totius vrbis viam hac vt caneret, impulerunt: Tale supplicium patitur, qui Romanum Papam de sua sede pellere nititur, De quibus vltèrius aliquid depromendum est ex Actis S. Nili, Abbatis apud Cassinenses monasterij Vallis Lucis, conterranei ipsius Iohannis XVI. quorum vterque patriâ Calaber fuit.

Hæc cum audisset B. Nilus, corde afflictus, coactus fuit, senio, & morbo confectus licet, (nonagenariam enim excedebat ætatem) & non tempore satis congruo (Quadragesima enim erat) Romam venire, & Imperatorem adire pro gratia impetranda. Imperator igitur & summus Pontifex, cum eius aduentum intellexissent, iuerunt illi obuiam: magna siquidem erat eius vbiq; spectata tam Orientalibus, quam Occidentalibus fama, & cum illum tenuissent, hinc inde, manibus duxerunt illum ad Patriarchium, & cum illum medium collocassent, & salutassent alter à dextris, alter à sinistris, eius manus deosculabantur. Sed B. Nilus, licet hæc omnia obse-

obsequia agrè ferebat & molestè, tolerabat tamen omnia, si quo pacto obtinere posset, quod petebat. Et inquit illis: Ignoscite mihi peccatori (per Dominum) super omnes homines & semimortuo seni: indignus enim sum tanto honore, quin potius meum est adorare venerandos pedes vestros, & venerari dignitates vestras. Veni tamen ad gloriam vestram, non honorem cupiens, vel munera, vel prouentus magnos, sed gratiam pro eo, qui vobis multum inseruiuit, & malè à vobis tractatus fuit: qui vtrumque vestrum ex fonte Baptismatis suscepit, & à vobis oculi illi sunt eruti. Precor pietatem vestram, vt illum mihi dono detis, vt mecum in posterum sedens, ambo peccata nostra deploremus. Tunc Imperator modicum lachrymatus, (neque enim reuera tota res eius consilio peracta est) respondit B. Nilo: Presto sumus, vt omnia quæ videntur Sanctitati tuæ perficiamus, si etiam tu exaudies petitionem nostram, & dignaberis accipere monasterium in hac Ciuitate quodcunque volueris, & esse nobiscum sempiterno tempore. Et infrà: Beatus autem Nilus quamprimum cum fratribus quos secum habebat, conscensis equis tota illa nocte ad suum peruenit monasterium iuxta Caietam in loco arduo constructum, orationi, & sibi incumbens, & DEVOTISSIME indefinenter placans precibus. Et post

pauca : Imperator vero pœnitentiam pollicitus, pedes ab vrbe ad Garganum montem iuit ad S. Michaelem Archangelum. vel, vt Petrus Damiani in vita S. Romualdi eandem historiam pertexens: Imperator, inquit, ex eodem crimine beato viro confessus, pœnitentiæ causa nudis pedibus de Romana vrbe egrediens, sic vsque in Garganum montem ad S. Michaelis perrexit Ecclesiam. Per totam etiam Quadragesimam in Classensi Monasterio B. Apollinaris, paucis sibi adherentibus, mansit. Vbi ieiunio, & psalmodiæ, prout valebat, intentus, cilicio ad carnem, indutus aurata de super purpura tegebatur. Lictis insuper fulgentibus pallijs strato, ipse in storea de Papyris confecta tenera delicati corporis membra terebat.

E quibus non superuacaneè dictis Catholica pietas Ottonis III. quantumuis puniendo modum excessisse videatur, non tam suo, quam aliorum consilio, & instinctu, robur quoque accipit. Sed aliud adhuc celebratur historijs exemplum, quo idem Otto præcipiti nimis iudicio capitis condemnauit Comitem quendam, quasi Imperatricis pudicitiam tentasset, ex sola illius, nempe coniugis suæ delatione, quæ tamen è contra Comitem ad thorum adulterij, quod ipse castè abnuuit, prouocârat. Hanc vxor decollati Comitis, mariti sui innocentiam, cuius benè conscia erat, magni miraculi argumento, per attum

ctum scilicet, & contrectationem ferri candentis sine vstione, vllaue læsione sui, in præsentia Imperatoris, pro tribunali sedentis, ad ruborem ipsius, & stuporem circum-astantium patefecit. Imperator viso tam raro exemplo totus consternatus, & confusus, adeò dolenter tulit iniustum innocentis viri supplicium, vt iugulum suum vicissim in pœnam amputandum præbuisset, ni proceres alij moderatiùs agentes clamassent, personam culpæ auctricem puniendam. Ea autem inuenta est fuisse ipsa Imperatrix impudicissima fœmina, quæ ob tantum scelus ad Mutinam igni adiudicata fuit, & tradita. Viduam postea Comitum Imperator multis studuit placare muneribus, tribus datis illi castellis: se autem graui afflixit pœnitentia. Historiam fufius prosequuntur Crantz. Sax. lib. 4. cap. 26. & qui proximè illis temporibus vixit, Godefridus Viterbientis, stilo metrico.

Hæc vel in principio intacta præterire nolui, ne prædictum Ottonem, quem è gente Saxonica præ cæteris insignium virtutum, ac in primis Catholicæ pietatis laudibus celeb andum duxi, videar velle cum adulatoribus facere Deum, aut Sanctum aliquem, sine ruga, sine macula. Quis autem hic Otto fuerit, qualis in pietate, quan-

tus in deuotione luculento, sed breui de ip-  
 so B. Petri Damiani S. R. E. Cardinalis,  
 elogio manifestum faciam ex eadem histo-  
 ria in vita S. Romualdi: *Erat autem, inquit,  
 prædictus Imperator monastico ordini valde be-  
 neuolus, & nimia circa Dei famulos affectione  
 deuotus. Quod verax Sancti viri de Ottone  
 testimonium, paucis deinceps illustrabo  
 exemplis. Contigit tempore illo, quo Ro-  
 mana sedes schismate supra dicto quatie-  
 batur, vt Cœnobio Classensi per fratrum  
 electionem præficiendus esset nouus Ab-  
 bas. Imperator Otto, quam sollicitè egerit  
 in isto negotio, postulatumque S. Romual-  
 dum per semetipsum conuenerit apud i-  
 psum, in lecto eius quiescens pernoctauerit,  
 multique precibus ac minis eundem compu-  
 lerit ad conditionem accipiendam, eiusdem  
 Petri Damiani verbis huc recensebo. Eodem  
 tempore Otto iunior Imp. Classensem Abbatiam  
 ordinare desiderans, optionem fratribus dedit, vt  
 quem ipsi vellent, indubitanter eligerent. At illi cō-  
 tinuo vnanimiter expetunt Romualdum. Impera-  
 tor autem dissidens, beatum virum ad Regiam euo-  
 cari posse per nuntium: ire ad eum per semetipsum  
 voluit, & ad cellam eius, sole iam occidente perue-  
 nit. Cui Romualdus quia magnum hospitem in  
 parua domo susceperat, lectulum suum ad requi-  
 escendum dare dignatus est. Coopertorium autem  
 Rex noluit, quia asperrimum iudicauit. Mane au-  
 tem*

Pet. Dam.  
 in vita S.  
 Romu. C.  
 22. apud  
 Sur. tom. 3.  
 d. 19. Iunij.

Imperator  
 Otto III.  
 perno-  
 ctans apud  
 S. Romual-  
 dum Mo-  
 nachum,  
 dormit in  
 lectulo i-  
 psum.

tem facto, Rex eum secum ad Palatium duxit, tandemque & instare, vt Abbatiam suscipere-  
ret, multis precibus cepit. Qui cum reluctare-  
tur, & Regiæ petitioni assensum penitus denegaret,  
Rex autem è contrario excommunicationem & a-  
nathema ab omnibus Episcopis, & Archiepiscopis &  
tota Synodo minaretur: tandem imminente ne-  
cessitate succubuit, & animarum regimen coactus  
accepit.

Idem Imperator Tiburtinis, qui grauius  
offenderant, interficiendo inclytum suum  
Ducem, Matholinum nomine, intercessione  
B. Romualdi non solum pepercit, sed & cru-  
deli homicidæ per matrem ad quam idem  
Sanctus preces pro illo fuderat, crimen in-  
dulsit, vitamq; donauit. Reuersus in Germa-  
niam magna pietate, & deuotione Aquisgra-  
ni iubet Sepulchrum Caroli Magni aperiri,  
eiusque ossa effodi, vt congruo honore col-  
locentur; quibus Ditmarus addit: *Crucem au-*  
*ream, quæ in collo eius (Caroli) pependit, cum ve-*  
*stimentorum adhuc imputribilium parte sibi sump-*  
*sit, cætera verò cum magna veneratione reposuit.*  
Vbi rursus redijt in Italiam, & in Cassinensi  
Abbatia S. Benedicti aliquot diebus com-  
moratus fuit, duas donauit dicto Sancto Mo-  
nasterij Patrono, argenteas Coronas, teste  
Leone Ostiensi. Quo tempore cum Bene-  
uenti esset, S. \* Hereberto sibi multâ con-  
suetudine, & Cancellariæ cui præfuit,  
serui-

Ditmar.  
Chron.  
lib. 4.

\*al. Here-  
berto,

seruitijs noto, & familiari, recens electo Archiepiscopo Coloniensi, inuestituram dedit ratione feudorum aliquot, quæ Imperij beneficio Ecclesia ista possidet, multum illi congratulatus, & salutaria precatus, vt prolixius historicus fide dignus refert Rupertus Ab. Tuit.

Quàm verò munificus fuerit & liberalis passim in Monachorum Conuentus, & Cœnobicia, aliasque Dei Ecclesias, longum esset dicere. De priuilegijs, & bonis Ecclesiæ Vercellensi donatis, pauca ex proprio Imperatoris diplomate, quod à Cardinale Baronio integrè ex autographo descriptum, ad annum 999. legitur, hic extraham. *Et vt ceteri promptiores ad obsequium nostrum consurgant, liberalitas nostri Imperij pro Dei, & S. Eusebij amore donauit predicto Leoni, omnibusque suis successoribus in perpetuum totum comitatum Vercellensem in integrum, cum omnibus publicis pertinentijs, & totum comitatum, quem dicunt S. Agathæ, in perpetuum, cum omnibus Castellis, Villis, piscationibus, venationibus, syluis, pratis, pascuis, aquis, aquarumue decursibus, & cum omnibus publicis pertinentijs, cum mercatis, cum omnibus telonijs, cum omnibus publicis functionibus, vt demota omnium hominum omni contrarietate tam Leo S. Vercellensis sedis Episcopus, quam & successores ad honorem Dei omnipotentis, & ad reuerentiam S. Eusebij magnifici Episcopi, inuicti contra heresiar-*  
*chas*



chas militis, & in ciuitate Vercellensi intus, & foris, & in toto Comitatu S. Agathæ, & in omnibus eorum pertinentijs, liberam habeant potestatem, placitum tenendi, legem nouam faciendi, omnem publicum honorem, omnem publicam potestatem, omnem publicam actionem, & omnem publicam re- ditionem habendi, exigendi secundum propriam voluntatem, & potestatem iudicandi, quia omnem potestatem, & omne dominium publicum, quod ad nos inde pertinuit, in potestatem, & dominium S. Vercellensis Ecclesiæ, & Leonis nostri Episcopi, & omnium successorum dedimus, largiti sumus, & omnino concessimus in perpetuum, &c.

En iterum, Serenissime Princeps, Imperator Otto III. Episcopatus, & bona eorum, quæ non habuit, ad se non rapuit, sed quæ propria habuit, ijs donauit; Ecclesijs amplissima bona, & prædia cõtulit, hoc facit Catholica Religio, illud hæresis. Discere non pæniteat ab Imperatore Ottone hoc, consanguineo tuo, quid honori Dei, quid animæ saluti expediat.

Idem Imperator audiens de Martyrio S. Adelberti Pragensis Episcopi, quo familiariter in viuis multum vsus fuit, deq; translato sacro corpore illius in Gnesnensem Ecclesiam, vbi immensis inclaruit miraculis, magno amore, & ardenti deuotione inflammatus, orationis causa ex Italia in Poloniam ad sepulchrum illius festinat. Et vt Ditmarus refert lib. 4. *Videns à longè Urbem (Gnesnam) desideratam,*

*ratam, nudis pedibus suppliciter aduenit, & ab Episcopo eiusdem, Vngero, venerabiliter susceptus in Ecclesiam introducitur, & ad Christi gratiam sibi impetrandam Martyris intercessio profusis lachrymis inuitatur. Et post pauca: Factoq; ibi altari, sanctas in eo honorificè reliquias condidit.*

Hinc ex Polonia rediens tertio in Italiam, multas secum S. Adelberti reliquias Romam comportauit, manus scilicet, quas auro, & gemmis mirè exornauit, curauitque ibidem tanto Martyri exstrui Ecclesiam, in Insula Tyberina, ad quam, vt tantò fieret celebrior, multas quoq; aliorum Sanctorum Martyrum reliquias, vtpote corpora SS. Abundi, & Abundantij ex dedicata ipsis Ecclesia, Item S. Theodoræ iussit transferri. *Inuenerunt etiam inter eos SS. Martyres, qui habebāt inauratas vestes, & mirè exornatas. &c. & deportata sunt omnia secundū iussum Imperatoris ad Ecclesiam S. Adelberti Martyris. Imò Beneuentum veniens, corpus quoq; S. Apóstoli Bartholomæi inde ad eandem Ecclesiam S. Adelberti, quam Romæ adeò maiestaticè fecit ex fundamentis ædificari, deportauit.*

Idem Imperator Otto fecit transferri ex Germania Romam corpus B. Benedicti, Pape V. quem in viuis electum tempore schismatis, tanquam illegitimum Otto I. Cæsar, alioqui deuotissimus, inde fecit exulem deportari ad partes Septentrionis, & Hamburgi  
in car-

In Appen.  
ad vitam  
S. Adalberti.

in carcere ( quod pijs Episcopis etiam à pijs quandoq; Principibus obtingit ) custodien- dum a daldago eius loci Archiepiscopo com- misit, vbi & mortuus est, non absque manife- stis sanctitatis, & innocentia suæ indicijs.

Plura qui de Catholica pietate Ottonis III. Imp. cognoscere desiderat, patienter au- diat ex Actis B. Nili, quàm sapienter & do- ctè, quàm piè, ac deuotè cum ipso contulerit, dum iniunctam explet pœnitentiã:

*Imperator verò pœnitentiã pollicitus, pedes ab Vrbe ad Garganum montem iuit ad S. Michaelem Archangelum: Et inde reuersus per B. Nili hospi- tium transiuit. Cum igitur venisset ad monaste- rium, & vidisset fratrum tuguria circa Oratorium constructa, dixit: Ecce tabernacula Israel in deser- to: Ecce habitatores Regni cœlorum. Isti non vt ha- bitatores, sed vt peregrini manent hic. Beatus ve- rò Nilus, cum percepisset thuribulum suum, (quod moris erat) obuiam illi iuit cum vniuersis fratri- bus, & cum omni humilitate, & veneratione ipsum excepit honorificè. Imperator autem supposita ma- nu Nilum subleuans, & sustentans, ingressus est cum eo in Oratorium. Deinde facta oratione di- xit Imperator S. Nilo: Dominus noster I E S V S C H R I S T V S, dum erat cum Apostolis præcepit illis, ne peram, aut baculum, aut duas vestes possi- deret. Cum vero accederet passioni, iterũ dixit illis: Sed nũc qui habet sacculum, tollat simul & peram. Tu igitur quoq; cum iam senueris, & debeas pro- ficisci.*

ficisci ad Regnum cœlorum, sit tibi cura de tuis alumnis, ne post te angustiati loci difficultate recedentes, dissipentur. Nos dabimus tibi monasterium, & prouentus, ubicunque uolueris, in vniuersa Pro- uincia nostra. Cui Beatus ita respondit: Dauidem audiui dicentem: Salua me Domine, quoniam defecit Sanctus, quoniam defecit Veritas à filiis hominum. Et iterum: Non est qui faciat bonum, non est usq; ad vnum. Si omninò sunt Monachi fratres mei, & custodient pro virili Christi mandata: ipse qui usque adhuc mecum curam gessit de ipsis, multò maiorem geret absque me de ijs, qui sperant in eius misericordia. Hæc & alia multa cum dicta essent, surrexit Imperator, vt discederet. Et ue- rum conuersus ad senem, dixit illi: Pete à me, tan- quam à filio tuo, quoacunq; uolueris, & cum omni alacritate perficiam tibi. B. vero Nilus cum exten- disse manus ad pectus Imperatoris, dixit illi: Nihil aliud peto ab Imperio tuo, præter salutem animæ tuæ. Licet enim Imperator existas, tanquam vnus de hominibus debes mori, & ad iudicium venire, & rationem reddere eorum, quæ fecisti bonorum, siue malorum operum. Hæc cum audisset Imperator, guttas lachrymarum profundeabat ex oculis suis. Deinde coronam suam in manibus S. Nili depo- nens, ab ipso benedictionem adeptus cum omnibus, qui cum illo erant, iter suum profecutus est. &c. Ditmarus quoque lib. 4. pænitentia operum dum meminit huius Ottonis, breuiter de illo sic ait: Et quamuis exterius vultu semper hilari se simula-

simularet, tamen conscientia secreto plurima in-  
gemiscens facinora, noctis silentio vigilijs, orationi-  
busque intentis, lacrymarum quoque rivis abluere  
non desistit: sæpe numero omnem hebdomadam, ex-  
cepta V. Fer. ieiunus perducens. in eleemosynis val-  
de largus extitit.

Euēnit tamen in fine Vitę Ottoni fors, He-  
roicis ipsius factis indigna. Dum Romę agit,  
ibidemque Natalem Domini celebrat An.  
1001. paucis post diebus in florida ætate an-  
norum, 29. vel 30. circiter fatis concedit, d.  
28. Ian. Anno vt Lamb. distinctè annotat  
1002. Cuius mortem *Frising. Contract. Vrsp. &*  
alij sic accidisse narrant. Vidua Crescentij  
quem schismatis authorem supra dixi graui  
mortis supplicio ab Ottone sublatum, necis  
istius vltix, exinde pro muliebri astutia in-  
fidians vitę Imperatoris, Chirothecas affa-  
brę factas, sed veneno funestissimo tinctas,  
magnum \* simulans amorem, Ottoni cum  
videret ipsum parare reditum in Germaniã,  
(pro valete) dono dedit, quarum vfu, & con-  
tactu infectus exspiravit. Hanc à fæmina no-  
centis viri retulit mercedem, qui fæminæ in-  
nocentem sustulit maritum. Corpus in Ger-  
maniam delatum sepeliuit S. Henricus, eius  
in Imperio successor, Aquisgrani; Intestina  
vero Augustę Fridericus *Sapiens*, Dux Saxo-  
niæ.

\* Sigonius  
in Ottone  
III.

---

 DE BRVNONE, DICTO GREGORIO V. PAPA ROMANO.
 

---

**C**ONSEQVENTER nunc dicam non de Henrico, Ottonis III. in Imperio successore, sed prius de duobus alijs eiusdem consanguineis coætaneis, ne temporis ordinem perturbem, de Brunone, & Bonifacio, quorū vterq; professione, & statu summi fuerunt in Ecclesia Prælati, & Doctores. Ac primo loco Brunonē quod attinet, filius fuit ille Ottonis, Sueviæ & Bauariæ Ducis, qui fuit filius Ludolphi, primogeniti filij Ottonis I. Imperatoris: Igitur Cæsaris Ottonis I. pronepos. Mater eius fuit Iudith Lotharingica. His Bruno parentibus oriundus, adolescēs literatę pietati operā dedit, adeoq; in eius studio profecit, vt ætate maturior meruerit præfici Ecclesiæ Verdensi in Westphalia Episcopus, qui tunc cænobiū fundauit Oldēstādēse. Sed meliore Cathedra dignus, non multo post tempore Pontifex creatur Romanus, mutato nomine Gregorius V. Inuenit tempore electionis æmulum, & Dignitatis Apostolicę competitorē, Philagathum, patria Calabrum, origine verò Græcum, Episcopum Placentinū, nuncupatum pro breui sessionis suę tempore Iohannem XVI. quem, vt supra dictum fuit, Crescētius senator, à Romanis consul electus, suā in-

suâ instituerat authoritate. Sed qui truculentis vtrumq; affecit pænis Cæsar Otto III. agnatum suum Gregorium, amoto schismate, in pacifica sede collocavit: quod sic breuib. indicat verbis Ditmarus lib. 4. *Dehinc Romã veniens gloriosè nepotem suũ Brunonem Ottonis filium Ducis, in loco Iohannis Papæ nuper defuncti cum omnium laude præsentium constituit.*

Rebus itaque compositis Gregorius Papa salubria inquit consilia, quæ spectant, tum S. R. Ecclesiam, tum Imperium, concilium convocatis Romam Episcopis congregans, cuius memoria est in Actis S. Adelberti, Episcopi Pragæ, apud Prutenos Martyris, de quo supra in Ottone III. dictũ fuit, qui à Bohemis in exiliũ pulsus Romã venerat, petens à Papa licentiã, & benedictionẽ peregrinandi ad terrã Sanctã. Quæ non parvè considerationis causa, in eadẽ tunc Synodo pervolvitur & votis Episcoporum, in primis Archiepiscopi Moguntini, concluditur, vt Adelbertus posthabito vitæ discrimine redeat ad refractarias oues.

*\* Assensit Papa Gregorius, & semel susceptum regem non posse eum impunè dimittere Scripturæ sententijs affirmat. \*In Actis S. Adclb.*

## DE ORIGINE ELECTIONIS

REGIS ROMANOR. PER VOTA PROCERVVM  
GERMANIÆ.

QVOD AD Imperiũ verò, sollicitè tractavit  
cũ Cæsare Ottone III. agnato suo, quẽ in

infœlice coniugio sine prole viuere cernebat, & mori timebat, qualiter Imperium à Græcis ad Germanos gratiâ, & auctoritate Apostolicâ translatum, perque hæredum generationes, atque successiones, bono tempore annorum scilicet ducentorum propagatum, posthac per liberæ Electionis vota Ecclesiasticorum simul & Laicorum Imperij Procerum, Principibus Germaniæ permaneret. Et placuit Ottoni sententia. Vnde Gregorius Papa V. à multis scriptoribus cæpit haberi author Septemuiratus qui est in Imperio: à nonnullis verò iste Imperator Otto, quia constat inter omnes communi vtriusque ope, & opera; consilio vnus, & consensu alterius, rem tantæ molis, & nouæ consuetudinis constituendi Caput Imperij fœliciter pactam, & peractam esse.

---

DE PRINCIPIBVS  
ELECTORIBVS.

**T**AMEN si quis distinctè de Septem Imperij Electoribus ijs, quos firmavit Aurea Bulla loqui velit, meâ sententiâ neuter, neq; Gregorius, neque Otto constitutionis, & sanctionis istius primus author dici potest. Persuadent hoc mihi rationes, quas etiam Onuphrius pro sua tangit opinione in libro de Comitibus Imperatoribus, quæstionem  
illam



illam magno studio pertractans : nimirum primò, quòd nullus ex Scriptoribus, qui temporibus, illis aut proximè vicinis vixerunt, Ditmarus, Herm. Contractus, Bertoldus, Lambertus, Marianus, Sigebertus, Gratianus, qui tamen diligenter omnia Pontificum Decreta, & sanctiones consignavit, Otto Fris. Contr. Urspergensis, aliufve; nullus inquam omninò Decreti, siue ordinationis istius vel verbo mentionem faciat. Secundò, quòd ipsa praxis, quæ ex tunc subsequuta est, & vulgò optima solet dici legum, & constitutionum interpret, ad oculum ostendat Electiones Regum Romanorum à S. Henrico, qui primus per libera Germaniæ Procerum vota electus, Ottoni III. immediatè successit, vsq; ad Diuæ Mem. Rodolphū Habsp. Cæsare Augustū exclusiuè, non à septem duntaxat Principibus, & præcisè ijs, qui hodie soli eligunt, sed ab ijs, & alijs, & sæpè à multò pluribus, etiam inferioris ordinis Statibus, ab Abbatibus, & Comitibus, alijsq; in vtraq; Germania Baronibus fuisse peractas : quod non grauatè exemplorum omnium inductione palam ipse faciam.

\* \*

\*

F 3

QUALI-

QUALITER, AVT QVOMODO, ET A  
quibus electus sit

S. HENRICVS.

ETENIM Otto Episcopus Frisingensis, au-  
thor omni exceptione maior, pius, do-  
ctus, & natus Princeps, S. Leopoldi, Marchi-  
onis Austriae filius, Henrici IV. Imp. ex Ag-  
nete filia, Henrici V. ex eadem, vtpote sore-  
re, nepos, Conradi III. frater vterinus, eaque  
ratione Friderici I. Barbarossae patruus, scri-  
bit Chronicorum suorum li. 6. c. 27. S. Hen-  
ricum Imp. qui Ottoni III. in Imperio suc-  
cessit, ab Omnibus Regni Primoribus, electum esse.

Nec aliter Ditmarus ex antiquis Saxoniae  
Comitibus Cognatus, Episcopus Merspur-  
gensis, qui eodem tempore vixit electionem  
S. Henrici in Regem factam narrat, Chron.  
li. 4. paulo ultra med. de funere Ottonis III.  
Maxima, inquit, pars Procerum, qui his intersue-  
runt exequiis, Hermannus Duci auxilium promit-  
tunt ad regnum acquirendum &c. Et lib. 5. in  
princ. Pietatemq; Ducis Henrici summa praordi-  
natione in regnum electi conor retegere. Et paulo  
post: Hermannus Alamanniae & Alsaciae Dux ti-  
moratus, & humilis a multis seductus contra Hen-  
ricum se armauit, Theodoricus vero Luthariorum  
Dux vir sapiens, & militaris, quo se pars populi  
maior, & melior inclinaret, securus expectat. Et

mox:

\*Alman. &  
Alsatiae  
Duci.

mox: Dux (Henricus) quendam militem ad ciuitatem, quæ *VVerlu* dicitur ad neptes suas conso-  
 rores, *Sophiam*, & *Ethelberidam*, & ad omnes qui  
 tunc ibi conuenerunt, Regni Primates misit. Quo o-  
 mnibus in vnum collectis Legationem suam aperuit,  
 auxiliantibusque Domino summet ad regnum bona  
 plurima promisit. Cui mox à maxima multitudine  
 vox vna respondit, Henricum Christi adiutorio, &  
 iure hereditario regnaturum, se paratos ad omnia  
 quæ sibi vnquam scirent esse voluntaria. Hocq; de-  
 xtris manibus eleuatis affirmatur. *Ekkihardus* cum  
 suis, quia præsens non erat, simulat à tunc patientiâ  
 hoc pertulit, &c. Et infra: Deindeq; ad *Moguntia*  
 celeriter properando *Rhenum* securus enauigat. Hic  
*VIII. Idus Iunij* ibidem communi deuotione in Re-  
 gem electus à *V Villigiso* eiusdem Sedis Archiepisco-  
 po, *Suffraganeorumq;* suimet auxilio, accepta re-  
 gali vnctione cunctis præsentibus Deum collaudan-  
 tibus, coronatur. Attamen idem *Ditmarus* re-  
 fert ibidem refragatos electioni *Hērici*\* *Ek-*  
*kihardum*, & *Hermannum Lotharingie* Du-  
 cem? Verum *Sigebertus* in *Chron.* ad ann.  
 1002. tollit dubium, dicens: *Henricus ergo Dux*  
*conciliatis sibi animis quorundam Principum Re-*  
*gni vngitur in Regem à V Villigiso Archiepiscopo.*

\**Eccardū*  
*Marchio-*  
*nem Mis-*  
*niae, &*  
*Thuring-*  
*giae,*

## CONRADVS

Francus.

**I**DEM grauisimus author, *Otto Frislin.* co-  
 dem libro, c. seq. 28. scribit *Conradum I. Im-*

F 4

pera-

peratorem, qui S. Henrico successit, ab Omnibus electum, An. 1025. Certè secretarius Conradi, VVippo, Electionem illius tolem his recentet verbis; *Consedere Principes, populus frequenter astabat. Archiepiscopus Moguntinus, cuius sententia ante alios accipienda fuit, rogatus à populo quid sibi videretur, abundantè corde, bilari voce laudavit, & elegit maioris ætatis Cunonem suum in Dominum, & Regem, atque Rectorem, & Defensorem Patriæ. Hanc sententiam ceteri Archiepiscopi, & reliqui sacrorum ordinum viri indubitanter sequebantur. Junior Cuno paululum cum Lotharingis placitans, statim reuersus maximo favore illum\* ad Regem, & dominum elegit, quem manu (Rex electus) apprehendens fecit illum considerere sibi. Tunc singuli de singulis\* Regnis eadem verba electionis sæpissimè repetebāt. Fit clamor populi, omnes vnanimiter in Regis electione Principibus consentiebant, in illo persistebant, ipsum cunctis dominantibus nihil hesitando preposuerunt. Habuit quidem & ipse nonnullos, sui electioni refragantes, ob turbas in Imperio à se excitate. Sed Conradus à Lichtenavv, Abbas Vrspergensis ad an. 1025. tollit dubium, quò minus fuerit electus ab Omnibus, quod dixit Frising. Conradus, inquit, ex Regni Primoribus vnus, sed regno antea per rebellionem aduersus, principibus pro eius electione dissidentibus, Aribone autem Moguntino Archiepiscopo, & Eberhardo Babenbergensi Præsule sibi fauentibus LXV. loco ab Augusto regnum suscepit.*

\* in.

\*Principibus.

HEN-



\* nondum  
renato, vel  
baptizato.

ad an. 1057. de quo Lambertus, qui tum viuebat, sic ait ad an. 1052. *Imperator Natalem Domini Polethe celebrauit, vbi filio suo Henrico adhuc \* caticumino Principes Regni sub Yramen- to fidem promittere fecit.* Et ad an. 1054. de eodem puerulo, *Henricus, inquit, consecratus est in Regem Aquisgrani ab Herimanno Coloniensi Archiepiscopo.* Et ad an. 1056. *Regnū pro patre obtinuit filius eius Henricus, quinque annorum infantulus, anno postquam in Regem vinctus fuerat tertio. Summa tamen rerū, & omnium quibus factū opus erat administratio penes Imperatricem remansit. Hermannus quoque contractus, qui eodem tempore vixit, in Chronicis suis ad an. 1053. Imperator, inquit, Henricus magno apud Triburiā conuentu habito, filium equiuocum Regem à cunctis eligi, eiq; post obitum suum, si rector iustus futurus esset, subiectionem promitti fecit.* Ad quem conuentum Conradus Boiariæ Dux venire nolens, cū expeditis militibus Regi rebellare moliens, &c. His conformiter loquitur Otto Frising. lib. 6. c. 34. dum ait: *An. MLVII. Henricus quartus, Henrici filius admodum puer, patri in regnum succedens, XCI. ab Augusto regnare cepit.*

Hic tamen Henricus in ætate virili valdè dissolutæ fuit vitæ, & inimicissimus Saxonice Nationis Principum pariter & populorū hostis, Tyrannus, in cuius pluries excommunicati vicem & locum primates Regni vt alium

lium eligerent, sæpè, & numerosè conuen-  
runt, & de facto elegerunt, viuentè Henrico,  
Sueuiæ Rudolphum Ducem in Regem,

RUDOLPHVS

Sueuus.

QVOD testis coætaneus, & author fide di-  
gnus Bertholdus presbyter Cōstātiēsis,  
& Penitētiarius Apostolic⁹ refert ad an. 1077,  
his verbis: *Vnde & Papa missis Legatis Principibus  
Regni declarauit, se parum profecisse in eo, quod illū  
Henricum in communionē receperit, cum Simonia-  
ci, & excommunicati non minus tunc fouerentur  
ab eo, quam pridem. His ergo auditis Principes Re-  
gni generali colloquio apud Forcheim 3. Idus Mar-  
tij habito egregium Rudolphum Ducem sibi in Regē  
sublimarunt, quē 7. Cal. April. coronarunt. Et Ot-  
to Frising. lib. 1. de gestis Frid. cap. 7. Rudol-  
phus Dux Sueuorum ab eis Rex factus, diadema à  
Romana Ecclesia accepisse traditur cum huiusmodi  
scripto;*

*Roma dedit Petro, Petrus diadema Rodulpho,  
Albertus Abbas Stadenfis ad an. 1076. eandē  
prosequens historiam, primò versum istum  
variatur, dicens; cui Papa auream transmisit coro-  
nam, hoc versu intitulatam:*

*Petra dedit Romam Petro, Tibi Papa Co-  
ronam.*

*Deinde addit: Præcepitque Moguntino, & Colo-  
niensi, cæterisque Episcopis, & Principibus vt ad-*

1111A

adiuuarent partes Rodulphi, & statuerent eum Regem, additiq; sunt eius parti Saxones, & Sueni. Et adhuc clariùs de eodem ad an. 1077. Rodolphus, inquit, à Principibus Saxonia, fauentibus Sigfrido Moguntino, & Adalberone V Virceburgensi, Bertholdo quoq; Duce Carinthia in presentia quorundam Romanæ Sedis Legatorum apud Forchem in Regem eleuatur, & ab eodem Sigfrido apud Moguntiam XII. Cal. April. in Regem ungitur.

---

## HERMANNVS

Lucelburg.

**M**ORTVO Rudolpho ann. 1080. Regni Teutonici Proceres Archiepiscopi, Episcopi, Duces, Marchiones, & Comites, conuentu facto rursus elegerunt An. 1081. Henrico adhuc superstite, Hermannum Lucelburgensem, vt refert idem Bertholdus; Et Albertus Abbas Stad. ad an. 1082. Hermannus, inquit, à Saxonibus (quorum maior numerus erat,) Rex constituitur.

---

## HENRICVS V.

**I**LLO etiam defuncto ann. 1088. Henrico adhuc diu superuiente, filius eius Henricus Quintus, patri excommunicato, impænitentii, incorrigibili bellum inferens, insignia Regni extorquet, sibiq; iam conferri, ac dati postu-



postulat, hortans eum vt se ad obediendum Sedi Apostolicæ submittat. Pater verò conuentum (vt ait Otto Frising. lib. 7. c. 10.) pro hac re Principum coadunari rogat, suq; ad petitionē suam Curia Mogunriæ in proximo Natali Domini celebranda cunctis Regni Primoribus indicitur. Igitur \*anno 1106. (vt refert ib. ca. II. in Natali Domini maximus conuentus Principum Moguntia factus est, vbi superuenientes Apostolicæ Sedis Legati anathema à Romanis Pontificibus in imperatorem factum manifeste omnibus, qui aderant, promulgabant. Expropter dum ipse in quodam castro positus, ac custodiæ mancipatus, audientiam peteret, Principes seditionem vulgi timentes, et apud Inglinheim occurrunt, ibiq; multis modis communitum, vel iuxta alios circumuentum, ac coactum insignia Regni resignare, ac filio mittere &c. persuadent. Et post pauca: Reuersi ad filium Optimates Imperialia deferunt, eumq; primò à patre electum per impositionem manus Apostolicæ Sedis Legatorum, cunctorumq; electione XC. ab Augusto Regē creant. Albertus Abbas Stad. ad an. 1106. Henricus, inquit, huius nominis Quintus, 93 ab Augusto, regnare cepit adhuc viuento Patre. Mediante igitur Henrico iuniore tantus apud Moguntiam factus est in Natali Dominico totius Regni Teutonici cōuentus, quantus per multa annorum curricula nusquam est visus. Referebant enim qui aderant, 52 optimates ibi tunc, vel eo amplius laicos affuisse, adeò vt solus Dux Saxonie Magnus, quem iam grauior

\* eodemq;  
anno ex  
mcerore  
obiit.

gravior atas impediēbat, defuisset. Et statim post: Venerunt ergo Principes ad eum Hingelshaim, scilicet Moguntinus, Coloniensis, Wormaniensis, & Imperialia ab ipso exegerunt.

## LOTHARIUS II.

**H**ENRICO V. successit Lotharius II. Dux Saxoniae à Comitibus Supplinburgi, cuius electionem his narrat verbis Otto Frising. de gestis Frid. I. Imp. lib. I. c. 16. Igitur Albertus (nam id iuris dum Regnum vacat, Moguntini Archiepiscopi ab antiquiorib. esse traditur) principes Regni in ipsa ciuitate Moguntina tempore Autumnali conuocat, Et mox: ipse Lotharium Ducem Saxonum, virum tamen ex probitatis industria omni honore dignum, plus familiari rei, quantum in ipso erat, quam communi commodo consulens, in Regem à cunctis qui aderant, Principibus, eligi persuasit. Et Chron. lib. 7. c. 17. Anno, inquit, 1125. Defuncto absq. hærede Henrico V. Principes Moguntiae conueniunt, &c. Tandem Lotharius natione Saxo, voto omnium renitens valdè & reclamans ad regnum tractus, sub præsentia Sedis Apostolicæ Legati XCIII. ab Augusto regnavit. Sigebertus æqualis, vel paucis annis senior, rem magis dilucidè sic narrat ad an. 1126. Mense Augusto Legati Apostolicæ Sedis, Archiepiscopi cum Episcopis, & Optimatibus Imperij

perij ex condicto convenientes Moguntia consul-  
tant sibi, & toti Romano Imperio de substituendo  
Rege. Lotharius Dux Saxonum, vir sapiens, & in-  
dustrius præpotens diuitijs, & victorijs Omnium  
assensu eligitur. Et continuò subdit: Hic  
mense Septembri cum eisdem Legatis, & duobus  
Archiepiscopis, & octo Episcopis, & multis Ab-  
batibus & cum eminentioribus Aula Regalis pri-  
moribus Aquisgranum veniens, Dominica die  
Idus Septembris à Friderico Archiepiscopo Co-  
loniensi in Regem benedicitur, & ungitur Et  
quia originales Principum literæ de obitu  
Henrici V. & noui Regis electione faci-  
enda, antequam **LOTHARIUS** eli-  
geretur, reperiuntur apud Goldastum,  
Tom. I. constit. fol. 259. non pigebit eas  
his inferere, præsentis materiæ non inu-  
tiles.

*Adalbertus* Moguntinus, *Fridericus* Colonien-  
sis, *Oudalricus* Constantiensis, *Buggo* Vorma-  
tiensis, *Arnolphus* Spirensis, *Oudalricus* Ful-  
densis Abbas: *Henricus* quoque Dux *Bauariæ*,  
*Fridericus* Dux *Sueuiæ*, *Godefridus* Palatinus  
Comes, *Beringerus* Comes de *Sultzbach*, &  
ceteri vtriusque professionis Principes, qui ex-  
equijs Imperatoris intererant, Venerabili fra-  
tri **OTTONI**, EPISCOPO *Babenber-*  
*gensi*, hinc fraternas in **CHRISTO** ora-  
tiones, inde fidelissimum deuotæ seruitutis obse-  
quium.

Post-

Postquam Imperator viam vniuersæ carnis ingressus est, & nos exequijs eius cum iusta deuotione, & reuerentia compleuimus, ipse ordo rei, & temporis qualitas exigere videbatur, vt de statu, & pace Regni aliquid conferremus, vti non abesset præsentia vestra consilium & aliorum Principum, tanto negotio vtile, & pernecessarium, quam expectare quia graue erat, & difficile, sedit omnium nostrum sententia, si vestra tantum non displicet concordia, Curiam in festo S. Bartholomæi apud Mogunciam celebrare, & ibidem conuenientibus Principibus, de statu, & successore Regni, ac negotijs necessarijs, prout spiritus S. aspirauerit, ordinare. Nullum tamen præiudicium deliberationi, & voluntati vestrae facientes, nihil nobis singulare, ac priuatim in hac re vsurpamus, quin potius discretioni vestrae hoc apprimè intimatum esse cupimus, quatenus oppressionis, qua Ecclesia cum vniuerso Regno vsque modo laborauit, dispositionis diuinæ prouidentiam inuocetis, vt in substitutione alterius personæ sic Ecclesie suæ, & Regno prouideat, quod tanto seruitutis iugo amodo careat, & suis legibus vti liceat, nosque omnes cum subiecta plebe temporali perfruamur tranquillitate. Contestamur etiam dilectionem vestram, vt pacem credito nobis celitus populo infra præscriptum curiæ terminum & vltra ad quatuor hebdomades ordinetis, quatenus tutior fiat concursus, ac reditus, & vt curialiter more videlicet antiquorum Principum cum propria impensa neminem pauperum ledentes conueniatis. &c.

Supe-

Superioribus etiam hoc adijcere libet, electo iam Lothario non omninò defuisse maleuolos, ac inuidos. Narrat enim Helmoldus in hist. Siauorum cap. 42. & cum eo Albertus Abbas Stadenſis ad an. 1126. in electione Lotharij. *Indignati autem Francigenæ virum Saxonem eleuatum in Regem, conati sunt alium suscitare Regem, Conradum videlicet, consobrinum Henrici Cesaris. Præualuit autem pars quæ fuit cum \* Ludero, abiensque Romam promotus est ad apicem Imperij per manus Innocentij Papæ, quod tamen contigisse ait Albertus Anno 1133.*

\* Lothario.

### CONRADVS III.

**L**OTHARIO mortuo successit in Imperio Conradus III. de quo Otto Frising. lib. 7. cap. 22. Anno, inquit, ab incarnatione Domini 1138. defuncto in Autumno sine filijs Imperatore Lothario conuentus generalis Principum Moguntia in proxima Pentecoste indicitur. Quidam autem ex Principibus timentes ne fortè in generali curia Henricus Dux Noricorum, qui tunc præcipui & nominis, & dignitatis in regno fuit, per potentiam præualeret, circa mediam Quadragesimam consilio habito in oppido Gallia Confluentia conuentum celebrant, ibique Conradum, Imperatoris Henrici sororium, de quo supra diximus, presente Theoduno Episcopo Cardinali, ac Sanctæ Romanæ

G

Ecclesiæ

*Ecclesia Legato, summi Pontificis, ac totius Romani populi, urbiumque Italiae assensum promittente 94. ab Augusto Regem creant. Quis mox ad Palatium Aquis veniens à predicto Cardinale (am Coloniensis qui id facere iure debuerat, nouiter inthronisatus pallio carebat) cooperantibus Coloniensi & Treuirensi Archiepiscopis cum cæteris Episcopis, in Regem vngitur. Idem refert Dodechinus ad an. 1138. sed audiamus quod ab Ottone Fris. ibidem mox additur: At Saxones; & Dux Henricus alijque qui electioni non interfuerant, regem non legitime, sed per surreptionem electum calumniabantur: Quibus omnibus in proxima Pentecoste generalis Curia Babenberg indicitur.*

*Eandem historiam idem profequitur in gestis Frider. I. Imp. lib. 1. cap. 22. Et per omnia dicit eadem Conr. Abbas Vrsp. ad an. 1139.*

---

## FRIDERICVS I.

**C**ONRADO defuncto successit Fredericus I. dictus à barba rufa AEnobarbus, vel Barbarossa, cuius electionem grauisimus Author Otto Frising. dicti Friderici Imp. patruus lib. 2. de gestis Frid. Imp. capitulo I. quod breue est, ideoque integrum huc transcribam, enarrat.

*Anno ab Vrbe condita MDCCC. ab Incarnatione verò Domini MCLII. decedente ab hac luce ver-*

te vernali tempore, id est sexta feria proxima,  
 (vt dictum est) post caput ieiunij in ciuitate Baben-  
 bergensi pijsimo Rege Conrado III. Nonas Mar-  
 ty, id est, tertia feria post Oculi mei, in Oppido  
 Franconesfurt, de tam immensa transalpinæ regni  
 latitudine, vniuersum (mirum dictu!) principum  
 robur, non sine quibusdam ex Italia Baronibus,  
 tanquam in vnum corpus coadunari potuit. Vbi  
 cum de eligendo Principe primates consultarent  
 (nam id iuris Romani Imperij apex, videlicet non  
 per sanguinis propaginem descendere, sed per  
 Principum electionem Reges creare sibi tanquam  
 ex singulari vendicat prerogatiua) tandem ab  
 Omnibus Fridericus Sueuorum Dux, Friderici  
 Ducis filius petitur, cunctorumque fauore in Re-  
 gem sublimatur. Capitibus 2. & 3. eandem ele-  
 ctionem, & quæ secuta est eiusdem Friderici  
 consecrationem, ac coronationem pluribus  
 profequitur. Et quidem ca. 2. in inscriptione  
 continetur Ratio, quare in eum tam facile consen-  
 serit vniuersitas Principum. Urspergensis ad an.  
 1152. breuiter de illo, Fridericus, inquit, huius  
 nominis primus, 91. loco ab Augusto Regnum acce-  
 pit magis ex delegatione Patris sui (Conradi) quã  
 ex electione Principum. Sed familiarius, & ve-  
 rius nemo rem nouit, quã qui & ipse patruus  
 eius fuit prædictus Otto. Ille cap. vltimo lib.  
 1. de gestis Frid. de obitu Conradi refert, quo-  
 modo moriens Regalia huic Friderico Fri-  
 derici fratris sui filio cōmēdarit, eū ob multa

virtutum suarum clara facinora, filio proprio, Friderico, puerulo adhuc præferens propter maius bonum Reipubl. Erat enim, inquit, *tanquam vir prudens de filio suo adhuc paruulo, ne in Regem sublimaretur, desperatus, idcirco & priuata & reipublica melius profuturum iudicabat, si is potius, qui fratris sui filius erat ob multa virtutum suarum clara facinora sibi succederet.* &c. Porro primogenitum suum Henricum ( duos enim hos tantum filios habuit) iam ante expeditionem Asiaticam penè puerum in Regni successorem eligi, & coronari procurauerat, quod more tunc consueto peractum fuit, qui ante reditum patris è vita emigravit, de quo Otto Frising. lib. 1. de gestis Frid. I. cap. 43. sic ait: *At Conradus Romanorum Rex Principes conuocans in oppido Orientalis Franciæ Franconesfurt (quod latinè vadum Francorū dici potest, eò quod Carolus ad debellandos Saxones cum Francis proficiscens vadum illo Mogi fluminis qui Moguntia Rheno illabitur, inuenisse dicitur) generalem curiam celebrat: ibique filio suo Henrico adhuc puero per electionem Principum rege constituto, in Palatio Aquis eum Dominica medianæ Quadragesimæ regem inungi, & coronari iubens, regni participem legit.*

HENRI-



## HENRICVS VI.

**F**RIDERICO I. primogenitus filius Henricus, dictus VI. Rex in Imperio successit, patris ut apparet ex appendice Ottonis Frising. de S. Blasio cap 21. potius institutione, quam legitimam Principum Electione. Sic enim ait: *liberosque suos omnes literis apprime erudiri faciens, eos facultatibus reddituum, excellentijs dignitatum per sortitas prouincias delegaliter sublimauit: Et post mox: Henricum, inquit, qui prior natu erat Regem post se designauit. Quod ut cum pace, & gratia omnium Procerum Regni factum videretur, & ratum haberetur, Anno, inquit, iste author, 1184. Fridericus Imperator sedatis in Germania cunctis bellorum turbibus, generalem curiam cunctis Regni Optimatibus in Pentecoste apud Moguntiam edixit: ibique filios suos Henricum scilicet Regem, & Fridericum Sueuorum Ducem gladio accingi, armisque insigniri disposuit. Ad hanc curiam totius Imperij Principes utpote Franconum, Teutonicorum, Sueuorum, Italicorum ab Illyrico vsque ad Hispanias congregantur. Et ad finem capitis: feria secunda celebratis mane Missarum solennijs filij Imperatoris Henricus Rex, & Fridericus Dux armis praecincti, militarique palaestra exercitati militiae cingulum sumpserunt, tractatisque diuersis Imperij*

ab Imperatore negotijs, quarto die ad propria cum gaudio recesserunt. Quid verò hic Henricus, taliter à patre Rex designatus, & publicè armatus? Anno, inquit idem author 1190. Filius Fryderici Imperatoris Henricus Rex contracto exercitu Alpes transcendens Italiam ingreditur, indeque ad urbem tendens à Cælestino Papa gloriòse susceptus, ab eoque omnium Romanorum favore unà cum Coniuge in die SANCTO PASCHE coronatus IMPERATORIS & AVGVSTI nomen nonagesimus quintus ab Augusto sortitur. Hunc favorem Romanorum avaritiâ eorum maximis muneribus satisfaciens promeruit, & addit: Imperium in hoc non mediocriter debonestavit. Vripergensis in Chron. ad an. 1191. quo regnare cœpit Henricus, prius tamen, inquit, à Patre Rex designatus fuerat, & de consensu Principum coronam Aquisgram accepit.

---

## PHILIPPVS.

**M**ORTVO Henrico VI. contigit in Imperio schisma per discordem Regni procerum electionem, aliorum Philippum, Frederici Barbarossæ filium, aliorum verò Ottonem, Henrici Leonis Ducis Brunsvicensis filium eligentium. Historiam describit in Chronico Hirsaugiensi ad ann. 1199. scriptor

scriptor ille celebris Ioh. Trithemius, his  
 verbis: Adolphus, inquit, Archiepiscopus Colo-  
 niensis & Theodoricus Archiepiscopus Treuirensis  
 habito consilio apud Andernacum cum Bernardo  
 Duce, & alijs Episcopis, Comitibus, atq; Nobilibus  
 pluribus Curiam omnibus Principibus ad Domini-  
 cam Oculi mei in Colonia generalem indicunt, pro  
 noui Regis electione celebranda. Interea Marchio-  
 nes Orientales, Conradus Archiepiscopus Mogun-  
 tinus, Bernardus Dux Saxonie, Archiepiscopus  
 Magdeburgensis, & alij Principes superiores apud  
 Erphurdiam conuenientes, Philippum Ducem Sue-  
 uie in Regem Romanorum elegerunt, fratrem vi-  
 delicet Henrici Imperatoris defuncti. Statuto igi-  
 tur die prefati Principes ad Coloniam conuenien-  
 tes, Bertolfum, Ducem de Zeringen, quem se pro-  
 miserant electuros, magno prestolabantur deside-  
 rio venturum, qui cum 11000. marcarum argenti  
 cum Ducatu Sueuie à Philippo accepisset, electio-  
 nique renunciasset, venire contempsit. Quod  
 cum predictus innotuisset Principibus, nimium  
 indignati, Ottonem Pictauie Comitem, filium  
 quondam Henrici Ducis Saxonie in Regem Rom.  
 contra PHILIPPUM elegerunt. Hæc ex  
 Trithemio deprompta appono, vt inde  
 lector cognoscat occasionem, & causam quæ  
 impulit PAPAM INNOCENTIVM  
 III. ad scribendum BERTHOLDO, Du- \* in capit.  
 ci Cæringie, quem in ea \* epistola mo- Venerab. de  
 net vt Philippum, cui se acceptis nummis Electione,

obligauerat, totumque ius suum resignauerat, utpote iam ante electionem excommunicatum deserat, & Ottonem Regem amplectatur.

Conradus Abbas Ursperg. qui tunc vixit, in gestis Philippi, ubi historiam prolixè & accuratè describit, Philippus, inquit, acquisiuit sibi fauorem Principum, & Magnatum. De Saxonia quidem habuit Ducem Bernardum, Marchionem Misniae, & alios Principes seculares potentissimos, insuper Archiepiscopos Magdeburgensem, & Bremensem, & Suffraganeos eorundem. Quid sit? indicitur Curia in Andernach. Quo audito Philippus transmissis illuc Legatis effecit ut nulla ibidem celebraretur electio: tum propter sui, & quorundam Principum absentiam, tum propter regiae generationis non destituendam profapiam. Et intra: Videns autem Philippus, quod à tali insolentia nollet cessare Alemanni, ipse cum Principibus sibi fauentibus conuentum adunauit in Oppido Milhusen, ubi à Sueuis, & Saxonibus, & Bavaris, & Bohemis, & Principibus quàm plurimis Rheni eligitur in Regem, E. contra Colonienses, & Argentinenses elegerunt apud Coloniam Ottonem in Regem. Sed iam antea Bertholdus, inquit, Dux Zaringiae tunc denominatus fuit in Regem non propter hoc quod iustus posset esse videri, aut diligere veritatem cum scriptum sit: Honor Regis iudicium diligit, sed propter hoc, quia pecuniosus videbatur, cum esset auarissimus, & omni iniqua

iniquitate plenus. Et de ipso infra: attamen cum  
 prefatus Dux Zaringia diffidere cepisset de expen-  
 sis ad obtinendum Imperium necessarijs, redijt ad  
 gratiam Regis Philippi: accepitq; ab eo beneficia,  
 quæ sibi conferri curauit, & hominum sibi fecit, &  
 fidelitatem, &c. Iam tunc, inquit ad finem, Co-  
 lonienses, & Argentinenses cum Episcopis suis, &  
 alij quidam cogitauerunt, & machinati sunt ne-  
 quitiam, miseruntq; nuncios suos Albertum vid. de  
 Tagisburg, & de Liningen Comites in Angliam, vt  
 inde aduocarent, & adducerent Ottonem, &c.  
 Hunc igitur apud Coloniam elegerunt in Regem,  
 &c.

Et de bellis Philippi idem Ursperg. de ijs-  
 dem: Properant, inquit, electi Reges vterq; vt  
 occupet Sedem Regni Aquisgran. Et post pauca:  
 Tunc Dominus Adulfus, qui tunc erat Coloniensis  
 Episcopus in sede Regni coronauit Ottonem in Re-  
 gem, &c. Tota verò Curia Imperialis & Officiales  
 Imperij adhaeserunt Philippo cum Principibus quàm  
 pluribus.

Et qui Urspergenfi ætate proximus fuit,  
 egregius author Fragmenti Historici ad an.  
 1198. Philippus, inquit, Dux Sueuia, frater Hen-  
 rici prædicti apud Franckensfurt, ab vna par-  
 te Principum electus est in Regem. Alia autem  
 Pars Principum filium Henrici quondam Ducis  
 Saxonie, nomine Ottonem, qui Comes fuit Picta-  
 uie, Regem fecerunt, atque Colonia eum in Regem  
 vnixerunt. Audiens autem Philippus Regis Ottonis

Aquisgra-  
num.

electionem, trecentos milites cum multis alijs scuti-  
tiferis Aquisgrani misit, vt & Regem Ottonem ab  
ingressu ciuitatis arcerent, & sibi ciuitate & se-  
dem Regni seruarent. Sed Otto Rex cum suis ad-  
iutoribus ipsam Ciuitatem obsedit, & in tempore  
messis cepit, atque in sedem regni triduo sedit, ip-  
samque Ciuitatem fidelibus suis custodiendam com-  
misit. Interim Philippus exercitum colligens Alsa-  
tiam petijt, omne frumentum in messe pessundedit,  
Mollesheim expugnando cremauit, solo cæmiterio  
in deditioem recepto. Haldenburg presidium cæ-  
pit, cæmiterium Epiaci confregit, omnesq; homines  
Argent. Episcopi, & Comitis de Tagesburg, qui erant  
assentanei Ottonis Regis, & totam inferiorem Alsa-  
tiam incendio, & rapina vastauit. Inde procedens,  
Curiam Maguntia cum suis fautoribus in assum-  
ptione B. Mariae habuit, vbi à pluribus Principibus  
solenniter electus, à Treuirensi Episcopo, qui iam  
relictò alio etiam hunc elegerat vnà cum Tarenta-  
no Episcopo, qui loco Maguntinensis Archiepiscopi  
accitus erat, inunctus est.

De quorum vtriusque electione accuratius  
aliquid scire desiderans, literas legat ipsorum  
Principum, qui elegerunt, ad Romanum  
Pontificem Innocentium III. singulatim,  
vel coniunctim datas, in eod. Epist. ad Inn.  
Epist. 7. 8. 9. 10. E quibus postremis, quia non  
vnius, sed plurium fuerunt, pauca extrahe-  
mus circa principium, medium, & finem.

Sanctissimo Patri, ac Domino Innocentio, Sacra-  
san-

sanctæ Romanæ Sedis summo Pontifici, Principes,  
& Barones Alemannia Clerici, & laici, debitam in  
Christo reuerentiam, & sinceritatem obsequij.

Cum placuisset ei, qui aufert spiritum Principū,  
& magnus, & terribilis est super Reges terra, Do-  
minum Henricum Imp. de medio auferre: necessa-  
rium fuit nobis visum de substituendo Rege tracta-  
tum, & colloquū habere. &c. Placuit ei qui Abrahæ  
filium immolare volenti victimam prouidit, &c.  
Serenissimum Dominum nostrum Ottonem, quondā  
Henrici Ducis Saxonie filium, ad regimen Romani  
Imperij de terra peregrinationis suæ ex opinato of-  
ferre nobis. Inuocata itaq; S. Spiritus gratia, prædi-  
ctum Dominum Ottonē Christianæ fidei cultorem,  
deuotissimum atq; S. R. E. Aduocatum, & Defenso-  
rem fidelissimum, & iudiciaria potestatis observa-  
torem iustissimum de longa, & antiqua Regū pro-  
sapia ex vtraq; linea specialiter editum, ad Romani  
Regni fastigium iustè & rationabiliter elegimus &c.

Paternitati ergo vestræ dignum supplicare duxi-  
mus, quatenus fidem, & deuotionem Domini nostri  
Regis attendentes, merita quoq; illustrissimi patris  
sui Henrici ducis Saxonie, qui ab obsequio S. R. E.  
nunquam recessit, memoriter tenētes paci & quie-  
ti nostræ & vestræ, intuitu Dei, ac nostri obsequij  
prouidentes ipsius electionem, & consecrationem  
authoritate vestrâ confirmare, & Imperiali Coro-  
natione armare paterna pietate dignemini.

Ad finē: Vt aut à Domino Rege nostro iura R. E. (vt  
p̄dictū est) integra & illibata seruentur, nos in bona  
fide sp̄odemus, & p̄ Domino Rege nostro fideiubemus.

Ego Adolphus Coloniensis Archiepiscopus ele-  
gi, & subscripsi.

Ego Bernardus Paderbornensis Episcopus ele-  
gi, & subscripsi.

Ego Thietmarus Mindensis Episcopus elegi,  
& subscripsi.

Ego VVitikindus Condeiensis Abbas elegi, &  
subscripsi.

Ego Gerhardus Tudenensis Abbas elegi, & sub-  
scripsi.

Ego Eribertus Verdensis Abbas elegi, &  
subscripsi.

Ego Henricus Dux Lotharingia, qui & Bra-  
bantia, Marchio Romani Imperij elegi, & sub-  
scripsi.

Ego Henricus Comes de Kuke elegi, & sub-  
scripsi.

Qui verò ex opposito elegerunt Philip-  
pum, fimiliter litteras suas pro illius confir-  
matione ad eundem Pontificem direxerunt:  
& quinam illi fuerint, ex earundem patet  
frontispicio.

Reuerendo in Christo Patri Domino Inno-  
centio, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Pontifici, Germa-  
narum Principes, & Magnates, in Christo filij,  
Magdeburgensis Archiepiscopus, Treuirensis Ar-  
chiepiscopus, Bisuntinae Sedis Archiepiscopus, Ra-  
tisbonensis Episcopus, Frisingensis Episcopus, Augu-  
stanus Episcopus, Constantiensis Episcopus, Eichste-  
tensis Episcopus, Spirensis Episcopus, Brixinensis  
Electus



Electus, Hildesheimensis Episcopus Imperialis aulae  
 Cancellarius, Abbas Fuldensis, Abbas Hesvolden-  
 sis, Abbas de Tergente, Abbas Ebuvaensis: Item  
 Rex Bohemia, Dux Saxoniae, Dux Bavariae, Dux  
 Austriae, Dux Moraviae, Marchio de Rauesbergh,  
 alijque Alemniae Nobiles &c.

Magnitudini vestrae duximus declarandum,  
 quod mortuo inclyto Domino nostro Henrico, Ro-  
 mano Imperatore Augusto, collecta multitudine  
 Principum, illustrem Dominum nostrum Philip-  
 pum in Imperatorem Romani solij rite, & solenni-  
 ter elegimus. &c.

Philippus interim quem reprobavit Pon-  
 tificex, magno & cruento bello cum Ottone  
 Regni competitore, dimicans, regnum per  
 annos nouem, menses tres, & dies quatuor-  
 decim tenuit ad necem vsque, quam violen-  
 ta manu ipsi Bambergae in conclauis, post ve-  
 nae incisionem non nihil requiescenti, intulit  
 Otto Comes Witelsbachius, (non ille à quo  
 Principes Palatini, & Bauari progenitore  
 descendunt) Anno 1208. d. 21. (vel vt alij 22.)  
 Iunij.

---

### O T T O I V.

**Q**VA, vel quali autem Imperij Proceres  
 inter se compositione defuncto illi pa-  
 cificè & concorditer suffecerint in schismate  
 antea coelectum Ottonem, narrat Rogerius  
 de Houeden, saeculi istius Historicus insignis,

Electio se-  
cunda Ot-  
tonis IV.  
facta est ex  
compro-  
misso.

\* Aquil-  
granū gal-  
licè *aix la*  
*Chapelle.*

nis, in Annal. in Richardo I. Rege Angliæ:  
Defuncto, inquit, Imperatore, Archiepiscopi, Epis-  
copi, Abbates, Duces, Comites, & omnes ceteri ma-  
gnates Alemannia in vnum conuenientes, debent  
duodecim viros eligere cōmuniter, & eos præsētare  
Archiepiscopo Coloniensi & Archiepiscopo Mogun-  
tino, & Duci de Saxonia, & Comiti Palatino de  
Rheno, & quęcunq; illi quatuor elegerint de prædi-  
ctis duodecim electis, erit Rex Alemannorum, &  
Coronabitur apud \* Hays- capellam, vbi Carolus  
Magnus sepultus requiescit. Et hoc modo dictū  
Otonē ad instantiā precum, & seruitij Ri-  
chardi Regis Angliæ receptū ait & coronatū:  
quem Romæ Papa Innocent, III. Augustū sa-  
lutauit, & coronauit An. 1209. d. 4. Octob. vt  
Trithem. vel II. Octob. vt refert Onuphrius.

Arnoldus Abbas Lubecensis an. 1208. hist.  
Sclauorū lib. 7. c. 15. alterā hanc Otonis ele-  
ctionē concordē, magis planē reddit & sim-  
pliciter: *Indicta, inquit, est curia in Halberstat,*  
*vbi cōuenerat maxima pars Prelatorū, & Principū*  
*Saxonia, & Turingia, nec desuit Herbipolēsis Con-*  
*radus. Omnes igitur Principes, qui conuenerant, ac*  
*si diuinitus inspirati, pari voto, & vnanimi consensu*  
*Otonem in Rom. Principem, & semper Augustum*  
*elegerunt in nomine Patris, & Filij, & spiritus S.*  
*Archiepiscopo (Mog.) qui primam vocem habere*  
*videbatur inchoante, prosequente verò Bernhardo*  
*Duce (Sax.) cum Marchione Misnensi, & Landgra-*  
*uo Turingia cum alijs, ad quos electio Regis perti-*  
*uere videbatur, &c.*

Hic

Hic Otto an. Dom. 1209. inquit Author  
 Fragmenti hist. rex pro imperiali benedictione  
 tempore messium Romam proficiscitur, qui etiam  
 ab Innocentio Papa in Imperatorem consecratur,  
 iuramento prius praestito, quod terram, & bona S.  
 Petri, quae sui antecessores usq; ad id temporis con-  
 tra iustitiam tenuisse videbatur, R. E. libera dimit-  
 teret. An. Dom. 1210. Imperator non sano usus consi-  
 lio rupit foedus iuramenti, quod fecerat cum Papa  
 & Romanis, occupando & vendicando sibi bona S.  
 Petri contra pactum. Unde à Papa saepius admoni-  
 tus, & correptus, desistere contempsit, & ob hoc me-  
 ritam excommunicationis sententiã incurrit. Et  
 infra: Videns igitur Papa pertinaciam Ottonis, quẽ  
 prius in omnibus fouerat & in altum sublimauerat,  
 cum neq; pro absolute, nec pro compositione ali-  
 qua laboraret, misit in Siciliam, & eauxit inde Fri-  
 dericum, Henrici quondam Imperatoris filium, &  
 literas suas direxit vniuersis terræ Principibus, qui-  
 bus dedit in mandatis, vt eundem Fridericum loco  
 Regis susciperent, & manutenerent, & in omnibus  
 ei astarent, sibiq; transeunti per terras quisque suo  
 loco conductum honorificè præberent, quod & factũ  
 est. Eadem referunt & alij scriptores coæta-  
 nei, Conradus Abbas Ursperg. Albertus Sta-  
 densis, quiq; eos sequuntur Ioh. Trithemius  
 in Chron. Hirsaug. & alij.

## FRIDERICVS II.

**P**ORRO vt aliquid amplius cognoscatur  
 de electione, vel susceptione Friderici,  
 dicis

dicit Author Fragmenti, Anno Domini 1213. Fridericus curiam Aquisgrani in festo B. Iacobi habuit ubi de consensu Principum locatus est in sedem Regni. Paduanus Monachus etiam synchronus breuiter electionem eius sic indigitat. Anno Domini, inquit, 1211. istis temporibus Fridericus adolescens Rex Siciliae, filius Henrici Imp. & Reginae Constantiae, quae fuit filia Rogerij Regis Siciliae de mandato magnifici Papae Innocentij per Lombardiam cum auxilio Marchionis Estensis ascendit in Alemanniam confidenter. Quem ita gratissimè Praelati, & Principes Alemanniae susceperunt, quod pauci remanserunt de Principibus cum Ottone. Tandem ipsum in Regem Alemanniae, & in futurum Imperatorem concorditer elegerunt. Quinam verò & quando, indicat Conradus Ursperg. ad an. Domini 1210. Tunc, inquit, Principes Alemanniae, Rex videlicet Bohemiae, Dux Austriae, Dux Bauariae, & Landgrauius Thuringiae, & alij quam plures conuenientes Fridericum Regem Siciliae elegerunt in Imperatorem coronandum. Anno verò Domini 1220. inquit idem: Fridericus Romae coronatur in Imperatorem in Basilica S. Petri, de mandato Honorij Papae, per ministerium Domini Hugelini, tunc Hostiensis Episcopi, postmodum Apostolici. Conradus Episcopus qui tunc vixit, & titulum Ecclesiae suae dissimulauit, humiliter se vocans presbyterum, Episcopali Sede indignum, in Chronico suo quod terminatur ad ann. 1251.

non

non procul à fine , omnia hæc breuiffimè  
 complectitur: Anno Domini , inquit , millesimo  
 ducentesimo octauo Principes post mortem Philippi  
 Regis in Ottonem conueniunt , qui fuerat aduersa-  
 rius Philippi , cuius parti etiam Papa fauebat . Iste  
 Otto maturauit ad Papam venire pro imperiali  
 consecratione , solemniter proficiscitur , consecratur ;  
 post annum excommunicatur : Eique filius Henrici  
 Imperatoris Rex Siciliae Fridericus suscitatur à  
 Papa . &c. Fridericus venit de Apulia contra Otto-  
 nem , post annos aliquot Otto moritur , Fridericus  
 dispositis , prout melius potuit , rebus , Romam profi-  
 ciscitur , in Imperatorem consecratur An. Do. 1220.

Ab hoc Friderico , qui tandem à virtute  
 summi Principis totus degener , totus vi-  
 tiosus , nec resipiscens , in Oecumenico Con-  
 cilio Lugdunensi I. à Papa Innocentio IV. ex-  
 communicatus , & Imperio priuatus fuit d. 21.  
 Iunij , An. 1245. numerant pleriq; Chronolo-  
 gi , & Historici viginti , & octo annorum in-  
 ter regnum , vsq; ad Imperium Rodulphi I.  
 Habsburgensis , qui an. 1273. electus est , vt sta-  
 tim intelligemus.

• H E N R I C V S ,

Thuringiæ Landgrauius.

LEGI M V S tamen in Chronicis Alberti  
 Abbatis Stadenfis qui illo tēpore scripsit,  
 Friderico deposito, instinctu, hortatuq; sum-  
 mi Pontificis, à nonnullis Principibus furro-

H

gatum

gatum fuisse Henricum Thuringie Landgrauium. Interea, inquit, Papa sollicitari fecit Principes, quos ad Imperium regendum credidit idoneos, ut aliquis eorum onus Imperij sumeret & laborem, promittens ei quicumq; imperium assumeret, consilium, & auxilium, pariter & fauorem. Et mox: An. 1246. Henricus, inquit, Landgrauius Thuringia iuxta Herbipolim in Ascensione Domini à Moguntino, & Coloniense, & quibusdam Principib. (quos arbitror ego potissimum Ecclesiasticos fuisse, quia paulò post idem ait, Henricum ab alijs vocatum Regem clericorum) in Regem eligitur. Plerique enim Friderico adhuc adhærebant, ideò idem: Papa etiam, inquit, omnes Principes Alemannia per Legatos sollicitauit, ut Fridericum desererent, & Henrico tanquam filio obedientia adhererent. Sed Henricus iste sagitta petitus, prope Ulmam eodẽ anno, quo electus est, fato occubuit. Eadem deponit testis coætaneus, & fide dignus, Author Fragmenti Historici, quod Chronico Alb. Argent. præmitti solet, prope finem suæ hiltoricæ: Innocentius aut̃ Papa celebrato Concilio, mediantibus Patriarchis Antiochia, & Aquileiensi, Imperatori Constantinopolitano, & multis Maiorib. Ecclesie, recitauit damna, & grauamina, excessus plurimos, & crimina Friderici. & lata sententia excommunicauit eum, & priuauit eum Imperio, & omni honore. Principes verò Alemannia, scilicet Archiepiscopus Moguntinus, & Coloniensis & Treuirensis cum cæteris Episcopis Argentinensi, Metensi, Spirensi, & alijs elege-

runt apud Herbipolim Henricum, Landgravium  
Thuringiæ in Regem.

WILHELMVS, COMES HOLLANDIÆ.

AN. 1247. refert idem Albertus: Papa Henri-  
cū Landgravium mortuum intelligēs, Petrum  
Capucium de Aureo velo, diaconum Cardinalem  
misit in Teutoniā, qui euocatis Archiepiscopis, &  
Episcopis, quos potuit, Concilium prope Coloniā  
celebravit Festo Michaelis, & feria 5. post Michae-  
lis VVilhelmus frater Comitis Hollandiæ, à quibus-  
dam Episcopis & Comitibus in Nussia in Regem  
Romanum ad gubernandum imperium est electus,  
& an. 1249. vt idem testatur, Aquisgrani co-  
ronatus: quē an. 1256. quo Chronica sua finit,  
idem Albertus refert à Frisonib. interemptū.

Cum Alberto per omnia congruit Fragmē-  
tum Historicum, cuius Author ad finem hi-  
storiæ: Mortuo verò, inquit, Henrico Rege, Inno-  
centius Papa pro alio Rege laborabat, & inter Prin-  
cipes non inuenit aliquem, qui se de Regno vellet in-  
tromittere contra Fridericum & filium suum Con-  
radum. Tandem Dux Brabantia filium sororis suæ  
VVilhelmum, Comitem Hollandiæ, Domino Papa,  
& Episcopis Alemanniæ presentauit: Quem Episco-  
pi elegerunt in Regem apud Coloniā, promitten-  
tes ei iuramento præstito, rebus & personis fideliter  
assistere. Qui cum Episcopis, Comitibus, & Nobili-  
bus obsedit Aquisgranum & firmissimum\* castrum  
Werde in fluuio Rheni, & Ingelnheim, quæ om-

Rensers-  
werd.

nia sibi subiugauit. Colonia, Moguntia, & Argentina Ecclesie assistebant, sed VVormatia, Spira, & alie Ciuitates & Oppida Rheni, Sueuia, & Bauaria, & Metis fauebant Friderico, & filio suo.

An Do. MCCL Fridericus, inquit idem, amissis Thesauris suis & rebus alijs in Apuliam rediens, ibi graui infirmitate correptus, defunctus est. Et anno seq. 1251. Conradus Rex, filius Friderici, vt mortuo patre Sicilia Regnum susciperet, per mare in Apuliam deuenit, & capta Neapoli muros illius funditus destruxit, sed cum sequente anno introitus sui in Apuliam infirmari coepisset, clystere quod à Medicis iudicabatur ad salutem, veneno mixto intulit sibi mortem. Posthac VVilhelmus Rex à Frisonibus occisus est.

## RICHARDVS

Anglus.

**H**AEC audiens Episcopus Coloniensis ad Angliam perrexit, & inde duxit Richardum Ducem Cornubiae, quem ipse & Episcopus Moguntinensis elegerunt in Regem, scilicet principaliter. Præter eos enim ipsum quoque elegisse Comitum Palat. & Henricum Ducem Bauariae multosq; alios, publicis literis suis, de quibus infra, fatetur Rudolphus Imp. Et paulò post cum deficerent ipsi pecuniae, dederunt ei libellum repudij, & per aliam viam reuersus est in regionem suam: cuius Regis memoria cum sonitu perijt. Tunc vacauit Regnum Romanorum annis

XXIII.

XXI  
vsq;

C  
turb  
ra, &  
& re  
cum  
præt  
noru  
runt

E  
coro  
lige  
phu  
stirp  
quid  
gor  
nito  
127  
Rh  
pro



XXIII. vsq; ad tempora Domini Rudolphi. Huc  
vsq; Fragm. Hist. Author.

## ALPHONSVS

Hispanus.

**C**VM Richardo quoq; electus fuit à non-  
nullis Alphonfus, Rex Castiliæ, sed qui  
turbulenta videns apud Germanos tempo-  
ra, & funestos aliorum exitus, sponte cessit,  
& renunciauit. Quos inquam post Frideri-  
cum II. omnes scriptorum plerique silentio  
prætereunt, vel saltem Catalogo Roma-  
norum Regum, & Imperatorum non infe-  
runt.

## RVDOLPHVS

Habsburgensis.

**E**LECTVS est tandem pacificè Franco-  
furti, absens, in Regem Romanorum cõ-  
cordi Principum eorum, qui hodie soli ius e-  
ligendi habent consensu, & suffragijs Rudol-  
phus, Comes Habsburgensis ex vetustissima  
stirpe Pharamundi, Franconiæ Ducis, anti-  
quissimorum Regum Galliæ scil. Merouin-  
gorũ, item Austrasiæ, Burgundiæ, &c. proge-  
nitoris, oriundus, pridie\* Cal. Octob. Anno  
1273. per Ludouicũ II. Comitem Palatinum  
Rheni, &c. in cuius eligentis vocem alij com-  
promiserant, & vota sua contulerant Archi-

\* in crasti-  
no Michaeli-  
lis, vt ha-  
bet chron.  
Colmar.  
part. 2. fol.  
40.

H 3

episco,

episcopi Moguntinus, Coloniensis, & Treu-  
rensis: Dux Saxonie, & Marchio Brandebur-  
gensis. Solus in ista Dieta personaliter absuit  
Ottocarus, Rex Bohemiae, credo ex inuidia,  
quæ postea in apertum exarsit bellum. Sic re-  
ferunt Alb. Argent. Cuspin. & alij: imò sic  
gestum in publicis suis refert literis Auguste  
datis Anno 1275. ipse Cæsar Rudolphus, lo-  
quens de dicto Lud. Palat. *Concorditer extitit  
compromissum &c. qui commissum huiusmodi  
in se recipiens suo, & dicti Ducis (Henrici Bauari)  
fratris sui, ac aliorum Principum ius in electione  
habentium auctoritate, & nomine in Romanum  
Regem solemniter nos elegit. Quotquot postea  
Rodolphum secuti sunt Romanorum Reges,  
ab ijs duntaxat septem; omnibus, vcl numero  
pluribus electi fuerunt.*

E quibus omnibus, vt nunc concludam,  
cõstat liquidissimè, Primò; Neq; Scriptorum  
testimonijs; neq; vfu, & praxi vnquã a princi-  
pio eligendi Regè Romanorũ, ante hãc fæli-  
cè Diuæ Mem. Cæsaris Rodulphi Habsp. ele-  
ctione, septè duntaxat Imperij Principes Ele-  
ctionis munere perfuctos fuisse, sed omnes o-  
mninò vtriusq; Professionis in Imperio Prin-  
cipes ac simul omnis ordinis Status nobilio-  
res, quibus libuit eiusmodi comitijs interesse.

Verum tamen est, Principũ aliorumq; Re-  
gni Procerũ semper gradus fuisse & differẽ-  
tias, alios alijs sublimiores, & maximè Impe-

rij Officiales qui pro tēpore erāt, in electione Regis Rom. votis præualuisse, quod aperte innuere videntur duo testes antiqui, Aman- dus, Friderici I. Imp. Secretarius, in electione dicti Frid. ad an. 1152. Et Welpertus Conra- di II. Imp. in electione Lotharij. Semper etiam Ecclesiasticos Cancellarię Imperij præ- fuisse; Archiepiscopum Moguntinum sem- per primas tenuisse partes circa actum Ele- ctionis; Coloniensem circa actum Corona- tionis; Inter Episcopos authoritate præcel- luisse Episcopum Bambergensem: Inter sæculares semper eminuisse vna cum Saxo- nię Principibus Duces Bauarię, quibus Re- galia, & Imperij insignia, sceptrum, globus, lancea, &c. custodienda committebantur. Quæ omnia, & singula pluribus, si opus esset, explicari, & comprobari possent.

Secundò, sanctionem de Septemviratu necessariò debere ante electionem Cæsaris Rudolphi I. introductam esse: Sed quando, & quo Authore, adhuc disquirendum venit, vt personis constet sua laus, & rebus veritas. Materia hæc viro Principi, maximè Electori, cognitu non inutilis erit, nec iniucunda. Et quia fama tantæ dignitatis, tantique priuile- gij Germaniæ Principibus concessi, origo à magnis authoribus refertur ad Gregorium Papam V. natum è Saxonibus Principem, de quo instituti huius ordine dicere cepi, in gra-

tiam inclytæ Domus Saxonicæ, quæstionem illam paulò altius ordiendo discutiam.

## I. Positio.

Principio indubitata est omnium Historicorum calculo sententia, cuius veritatem cum Catholicis Lutherani pariter & Calvinistæ vtrò fatètur; nempe Imperiũ Romanũ Authoritate Sedis Apostolicę, Romę in plena cõgregatione à Græcis ad Germanos translatum esse, illudq; à Pontifice Leone III. primò omnium accepisse Carolum à corporis animique magnitudine cognominatum *Magnum*, vtriusque Franciæ Orientalis, & Occidentalis Regem, origine, & patria Germanum, natum Caroloburgi in Bauaria, educatum Ingelheimi, regnante apud Græcos Irene, Leonis IV. Imperatoris Constantinopolitani vidua, Anno Christi octingentesimo, in ipso die festo Natiuitatis. Ex multis pauca hic delibabo eius rei testimonia. Apertè tradunt hoc Annales Francorum, authore quidem, anonymo, sed à tota posteritate approbato, & Caroli Magni coætaneo, in rebus gestis ad an. 801. *ipse autem cum die sacratissimo Natalis Domini ad Missarum solennia, Basilicam B. Petri Apostoli fuisset ingressus, & coram altari, vbi ad orationem se inclinauerat, assisteret, Leo Papa coronam capiti eius imposuit, cuncto Romanorum populo acclamante; Carolo Augusto à Deo Coronato, magno & pacifico Imperatori Romanorum, vita, & victoria.*

Pau-

Paulus Diaconus, synchronus Caroli Magni, eique notissimus lib. 23. rerum Romanarum, loquens de Papa Leone in sedem suam, Caroli Regis ope restituto; *Ceterum inquit, vicem Carolo recompensans in Imperatorem coronauit eum in templo S. Petri Apostoli perungens oleo à capite vsq; ad pedes, & circumdans Imperatoria veste, atq; corona.*

Anastafius Bibliothecarius, & Abbas Romanus, qui eodem vixit sæculo: post hæc, inquit, adueniente die Natali Domini nostri IESU Christi in iam dicta Basilica B. Petri Apostoli omnes iterum congregati sunt: & tunc venerandissimus almisicus Pontifex manibus suis proprijs pretiosissima corona coronauit eum. Tunc vniuersi fideles Romani videntes tantam defensionem, & dilectionem, quam erga Sanctam Romanam Ecclesiam, & eius Vicarium habuit, vnanimiter altisonã voce, Dei nutu, atque B. Petri Clauigeri regn: cœlorum, exclamauerunt; *Carolo Pÿssimo, Augusto, à Deo coronato, Magno, pacifico Imperatori vita, & victoria.* Addit ibidem iuramentum, quo coronatus se Deo, & S. Ro. Ecclesiæ obstrinxit, omnibus posteris, & in Imperio successoribus solemne. *In nomine Christi spondeo, atq; polliceor ego Carolus Imperator coram Deo, & B. Petro Apostolo, me protectorem, & defensorem fore huius S. Romanæ Ecclesiæ in omnibus utilitatibus, quatenus diuino fultus fuero adiutorio, prout sciero, poteroq; &c.*

Centuriatores Magdeburgenses Theologi, & Historici gentis Lutheranae, Cent. 8. ca. 10. col. 751. hæc acta sic referunt: *Atque ita Imperium Romanum ad Carolum & Francos (Leo Papa) transtulit, & tamen sibi reservavit ius Franci imperandi, atque hinc factum est deinceps, ut qui imperij sceptrum acciperent, à Pontifice inaugurarentur; Est q̄ hæc translatio præcipuum ex miraculis Antichristi.* Digna notata verba Prædicantium, quæ Serenissimus Saxoniae Elector benè signet, & attendat, quo spiritu Doctores isti loquantur, qui dum veterem recensent historiam, populo simul persuadere volunt, Augustos Domus Saxonicae Imperatores, cæterosque omnes, Imperium accepisse ab Antichristo, supremo diaboli ministro. Nonne etiam consequens est, ut Saxoniae principes Electores unâ cum reliquis, ab Antichristo sint instituti, cum ijdem homines in Ecclesiasticae Historiae suæ progressu narrent Principes Imperij Electores similiter à Papa Romano constitutos, Cent. 10. cap. 10. pag. 546.

Adduco postremò testimonium Prædicantis, & Historici quoq; Calvinistæ, Abrah. Bucholtzeri, cuius hæc sunt verba: *Exeunte Anno Christi 800. Carolus Francorum Rex, qui à rerum gestarum magnitudine, & gloria dictus est Magnus, atq; Ecclesiis, & scholis constitutis Religionem Christianam in Germania longè lateq; propagavit.*

pagavit : Romæ à Leone III. Pontificæ Max. conse-  
cratur, & faustis populi acclamationibus salutatur  
Imperator Romanus, & Augustus, die natali Chri-  
sti, inchoante annum 801. &c.

Hæc quidem parum concernunt Papam  
Gregorium Saxonem, neq; præsentem quæ-  
stionem de primæua institutione Septemvi-  
ratus propriè attingunt, tamen vt Germaniæ  
Principes, imprimis Electores, omnis digni-  
tatis, actionisq; suæ circa Imperiũ, Imperijq;  
Caput, originem sæpius recognoscant, non  
inutiliter spero dicta, hic præmittuntur.

Secundò æquè indubitata est & certa sen- II. Positio.  
tentia hæc : quod quemadmodum Imperij  
translatio à Græcis ad Germanos, authorita-  
te Sedis Apostolicæ facta est, pari modo Im-  
perij continuatio, & propagatio, successio-  
nisq; modus, & ordo eiudem Sedis authori-  
tate semper fuerit comprobatus, vel à princi-  
pio omninò institutus. Nouimus enim Ca-  
rolum M. in ordine primum, non nisi Roma-  
norum Pontificum consensu, vnctione, &  
coronatione, Imperium per filium, & nepo-  
tes Francos, in sanguine tenuisse, ac continua  
serie propagasse ad Henricum vsq; Saxonem,  
Carolinæ tamen familiæ cognatum, vtpote  
Arnulphi ex filia Luidgarde nepotem ; quâ  
ratione Ludouicus IV. Arnulphi filius, & in  
Imperio successor, Auunculus fuit prædicti  
Henrici, qui à Conrado absq; prole iam mo-  
rituro

rituro, Rex Romanorum dictus, Imperium postea & ipse per filium, & filij filium, ac nepotem Ottonem III. Romanorum Pontificum gratia, in sanguine tenuit, ac propagavit, ita vt huc vsq; ipsimet Imperatores, Regesue Romanorum sibi ex familia successores elegerint, nominarint, constituerint, licet cum aliquo ferè respectu ad Imperij Principes, eorumq; assensum.

Huius sententiæ ratio est euidentis, quia eiusdem est bonitatis regnum dare, & conseruare, optimamq; propagandi formã præscribere, sicuti & eiusdem est potestatis, regnum personæ ex gratia dare, & ex culpa auferre. Sed ratione missâ, inspiciamus Pontificum decreta. Et quidem in familia Caroli, cum Ludouici III. Imp. obitum accepisset Papa Iohannes VIII. Synodum Romæ indicit celebrandam mense Maij, ad quam dum vocat Ansbertum, Archiepiscopum Mediolanensem, hæc inter alia fatur: *Quia Carolomanus corporis, sicut audiuimus, incommoditate grauat us, Regnum retinere iam nequit, de noui Regis electione, vt omnes pariter consideremus, vos prædicto adesse tempore, nempe ad Calendas Maias validè oportet, & ideo antea nullum absque nostro consensu Regem debetis recipere. Nam ipse qui à nobis est ordinandus in Imperium, à nobis primum atque potissimum debet esse vocatus, atque electus.*

E quibus liquet apertè, quantumuis Imperium



rium per generis successiones annis centum  
& amplius in sanguine Carolino propagatum  
sit, non tamen absque speciali Romanorum  
Pontificum consensu, quoad singulas perso-  
nas, id factum fuisse, sicuti neque ipsi Otto-  
nes gentis Saxonicae absque Romani Ponti-  
ficis expresso privilegio idem Regnum ad  
suos hæredes transmiserunt, quod Centuria-  
tores Magd. in Historia sua Ecclesiastica  
gratis agnoscunt, & sponte fatentur ex decre-  
to Papæ Leonis VIII. Cent. 10. c. 16. eisdem  
quibus ille verbis. *Nos quoque Leo servus seruo-  
rum Dei, Episcopi similiter cum cuncto clero, & v-  
niuerso populo Romano, omnibus ordinibus huius al-  
mæ Urbis (sicut in ipsis conscriptis apparet) con-  
stituimus, confirmamus, & corroboramus, & per  
nostram Apostolicam Auctoritatem concedimus,  
atque largimur Domino Ottoni primo, Teutonico  
Regi dilectissimo, spirituali in Christo nostro filio,  
eiusque successoribus huius regni Italici in perpe-  
tuum tam sibi facultatem successorem eligendi  
&c. Cuius inquam indulti vigore Otto pri-  
mus secundum filiū suum, secundus tertium  
similiter filium elegit successorem in Re-  
gnum primò, inde ad Imperium à Papa pro-  
mouendum, & coronandum.*

Non tamen ignoro in vtraque familia ex-  
stitisse, quos nullus Pontifex vnxit, vel coro-  
nauit: è Francis \* Ludouicum vltimum, & \* Sigebert.  
Conradum I. quorum loco Imperatores ab ad an. 912.  
alijs

alijs in Italia numerantur ex propinquis ipsorum, V Vido, Dux Spoleti, eiusque filius Lambertus, à Papa Formoso vncti, coronati, & Imperatores nuncupati, sicuti ex publicis constat eiusdem Papæ literis, itemque ex literis S. Fulconis, Rhemenfis Archiepiscopi, & Martyris ad eundem Papam datis, apud Frodoardum lib. 4. histor. Rhem. cap. 2. Iure quoq; ijs Arnulphum prædicti Lud. Patrem, Carolomanni filium, quantumuis ab eodem Papa Formoso coronatum, accensere possumus, quia Romana Synodus sub Papa Iohan. IX. vnctionem illam factam ait per surreptionem; ideoq; declarat nullam. E Saxonibus verò est Henricus I. Princeps infra statum humilis, se sacra vnctione reputans indignum, cuius hæc fuisse verba cum vnctione cum diademate ei ab Herigero, Archiep. Mogunt. offerretur, refert V Vitekin. lib. 1. gest. Sax. *Satis mihi est, vt præ meis maioribus Rex dicar, & designer diuina annuente gratia, ac vestra pietate, penes meliores verò nobis vnctio, & diadema sit, tanto honore nos indignos arbitramur.* Quod de eo verum esse affirmant quoq; Ditmar. li. 1. & Conradus, Abbas Vrsp. in Chron. ad an. 820. *Henricus, inquit, renuit diadema, & vnctionem, solo nomine Regis cõtentus.*

Toleravit eos tamen Sedes Apostolica, & Reges appellari passa est; quo nomine isti, & alij, quotquot ex posterioribus ad Imperium electi,

electi, sine consecratione regnauerunt, vocandi sunt, non Imperatores, sed Reges, potius Germanorum, quam Romanorum.

Tertiò non minus certa, ac indubitata est III. Positum historicorum fide, tum verò praxi, & viva experientia, sententia hæc: quod Romanum Imperium post obitum Ottonis III. sine prole mortui deinceps propagatum fuerit per liberam Procerum \* Germaniæ electionem, iuxta ordinationem, & sanctionem Papæ Gregorij V. Saxonis in plena cōgregatione Romæ, vbi tunc prædictus Otto Imp. ipse præsens erat, Anno Christi 996. factam. Non opus est eius Veritatem multis probare Authorum testimonijs, cum ipsi Magdeburgenses in historia sua Ecclesiastica eam nobiscum stabiliant, his verbis: *Gregorius vndecimo sui exilij mense pristinae dignitati per Imperatorem restitutus, suam patriam insigni aliqua dignitate ornaturus, sanxit vt penes solos Germanos eligendi Regem esset ius, ac potestas, qui post diadema à Romano Pontifice acceptum, Imperator, & Augustus appellaretur.* Cent. 10. c. 10. pag. 546. & cap. 16. pag. 720.

Sed quia historici illi apud Catholicos nullam merentur fidem (imò vix puto apud suæ religionis homines) vtpote sibi inconstantes, qui quod hic aiunt, negant \* alibi, afferam \* Illyr. in præf. pag. 89.

ceros,

\* nonnunquam tamen etiam aliarum nationum Magnates honoris causa admissi fuerunt, non tamē vt electores, sed vt testes, vel spectatores, vt in suis carm. Guntherus Ligur. ipse prodit.

ceros, quā fuit iste Illyricus. Iacobus V Vimphelingus, Ecclesiasticus Spirensis in sua Epitome rerum Germanicarum cap. 20. Gregorius, inquit, *Cognita Imperij imbecillitate, varietateque fortuna, utque is qui ceteris virtute præstaret, præesset etiam dignitate, sanctionem tulit, haud abnuente Ottone de Imperatore deligendo.* Albertus Crantzius lib. 4. Saxoniae cap. 25. Gregorius, inquit, *ad vnderinum quo absuerat mensem restitutus, acerrimam de accepta à Romanis iniuria ultionem sumpsit. Paulo enim posteaquam redierat, eam fecit de Imperatoris electione sanctionem, quam hucusque per annos iam quingentos servatam videmus, solis licere Germanis, qui inde Electores sunt dicti, Principem deligere, qui Caesar tunc & Romanorum Rex dictus, si à Romano Pontifice coronabitur, Imperator Augustus appelletur.* Iohannes item Nauclerus volum. 3. Chron. gener. 34. *Itaque aiunt Gregorium quintum cognita Imperij imbecillitate, varietateque fortuna, quò diutius apud Germanos summa potestas remaneret, illeque ceteris præesset, qui virtute, & dignitate ceteris præstaret, reuulisse sanctionem de Imperatore deligendo, videlicet solis licere Germanis Principem deligere, qui Caesar, & Romanorum Rex appellatus, tum demum Augustus, & Imperator haberetur, cum à Rom. Pontifice benedictione præmissa coronaretur. &c. Plures, & antiquiores adduci possent, ni Germano Principi, tres isti natione Germani satisfacerent.*

Hoc

Hoc tamē hic imprimis dicendum est, falli eos, & alios quotquot eidem Papæ Gregorio V. sanctionem adscribunt septemviratus, quasi ille Author sit Electoralis Collegij septem duntaxat Principum, per quos solos fit Regis Romanorum electio. Quos inter primus omnium, & reliquorum Antesignanus est, qui id claris verbis dicat, supposititius author (antiquus tamē, nec contēnendus) sub nomine S. Thomæ lib. 3. de Regimine Principum ad Regem Cypri, cap. 19. his verbis: *per Gregorium V. genere similiter Teutonicum prouisa est electio, vt videlicet per septem principes Alemanniæ fiat.* Sed vt forex se suo mox prodit indicio capite seq. 20. Vbi refert Adolpho Albertum successisse, quod contigit anno 1298. vel vt alij 1299. viginti & quatuor vel quinque annis post mortem S. Thomæ, qui obiit 1274. Et Cardinalis Bellarminus, grauisimus librorum censor, in libro suo de scriptoribus Ecclesiasticis, in S. Thoma, obseruatione 2. afferens complures rationes, cur liber iste non sit S. Thomæ, dicit etiam stylo ab illius scriptis discrepare. Quem secuti posteriores, viri alioquin graues, & eruditi, nomine sancti & Angelici Doctoris se & alios fefellerunt, sanctionem Septemvirum Principum, Cæsarem eligentium, Gregorio Papæ V. authori adscribentes.

Primò etenim hoc nullus dicit scriptor sæ- I. Ratio.

I

culi

culi istius, vel etiam sequentis ad tempora Friderici vsque II. prædecessorum exemplo à pluribus similiter electi, qui vel verbo meminerit septem Imperij Principum, penes quos sit solos ius electionis, ita vt titulus Principis Electoris Septemviri, vel nomen Septem Principum Electorum, prout ijs secundum excellentiam postea factum est iure proprium, prius fuerit inauditum.

## 1. Ratio.

Secundò ipsa praxis, & experientia demonstrat Romanorum Reges à S. Henrico, qui Ottoni III. primus per Procerum electionem immediatè successit ad prædictum Fridericum inclusiue, vel, vt pressius loquar V Vilhelmum & Richardum quoq; , quos alij in ordine Imperatorum omittunt, à longè pluribus, etiam ab Abbatibus, Comitibus, alijsque nobilibus electos fuisse, ita vt omnes ordines, & feudatarij Imperij in Comitijs præsetes, in gradu suo, cõmune caput Regni Romani elegerint, quod irrefragabili historici coætaneorũ, singuloru Regum electionis testium, fide, & autoritate suprà manifestum feci. Quam eligendi praxin præter eos historia Lamberti Schaffn. insignis & veracis historici valdè illustrat. In qua lector, clare cernit ex multiplici Regis Henrici IV. vitiositate, & speciali malignitate in Saxonix Principes, & gentem, Imperij proceres quàm plurimos; Ecclesiasticos, & laicos sæpe conuentus

uentus indixisse, & conuenisse, anno 1073. in Gerstingun. 13. Cal. Nouemb. vbi aderant Archiepiscopi, Moguntinus, & Coloniensis; Episcopi, Metensis, Bambergensis; Duces, Lotharingiæ, Sueuiæ, Carinthiæ, cum Principibus Saxoniam &c. Cumque toto triduo consilia contulissent, & quid facto opus esset communi sollicitudine perquirerent, hæc postremo cunctis sententia conuenit, vt reprobato Rege, alium qui gubernando regno idoneus esset eligerent. Et post pauca ibidem: Et profecto Rudolphum ducem (Sueuorum) ibidem absque dilatione Regem constituissent, nisi ille pertinaciter resistendo iuraret, nunquam se in hoc consensurum, nisi à cunctis principibus conuentu habito. Quapropter, vti ibidem sequitur: His accensus Archiepiscopus Moguntinus, cui potissimum propter primatum Moguntinæ Sedis eligendi & consecrandi auctoritas deferrebat, Principes de toto Regno Moguntiam euocauit, vt communi consilio Rudolphum ducem Regem constitueret. Rursus conuenisse ait Ann. 1076. Triburiæ 17. Kal. Nouemb. amplissimo numero, ad submouendum à negotijs regni Regem Henricum, & alium, in quem communis electio consensisset, creandum. Iterum anno sequente, 3. id. Martij, in Forcheim, eiusdem negotij causa. Et Bertholdus quidem, historicus, censura Cardinalis Bellarmini, fidelissimus, & pius, qui etiam tempore isto vixit, dicit in Chronico suo ad annum 1077,

quod *Principes Regni generali colloquio apud Forchem, 3. Id. Martij habito egregium Rodulphum sibi in Regem sublimarunt, quem 7. Cal. April. coronarunt*. Et ut repetendo, adhuc semel pro semper hoc in præsentī materia dicā, quid historici per Principes, vel Proceres Regni per quos electiones factas narrant, intelligāt, explicat se ipsum idem Bertoldus ad annum 1081. ubi ait: *Eodem tempore Principes Regni Teutonicorum, scilicet Archiepiscopi, Episcopi, Duces, Marchiones, & Comites, conuentu facto* \* Hermannum nobilem virum sibi in Regem elegerunt: ita ut quorundam ficta ista exceptio; per proceres vel primores, aut Principes Regni intelliguntur septem isti, qui hodie eligunt Principes Electores, nullo modo subsistere possit.

\* Herm.  
Lucelburg.  
Rodulphus enim  
iste anno  
præcedente  
obiit.

3. Ratio.

Tertiò literæ ipsorum Principum, aliorumque Germaniæ Magnatum, qui Regem hunc, vel illum elegerunt, ad Romanum Pontificem datæ, etiam aliter sonant, ut ibidem formalibus ipsorum verbis supra ex ijs ostendi, ut & ista nonnullorum opinio & cōiectura: plures scilicet etiam ex nobilibus, tempore, & loco, electionis solere convenire addietā, sed non ut Electores, suffragiū in illa habētes, nullū hic possit habere locū. Dicūt .n. isti in suis ad Papam Innocētiū III. literis Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates, & præter Principes, ipsi Alemanniæ nobiles: *Philippū in Impera-*

Imp  
legi  
sim  
ru  
cor  
gis  
tion  
con  
elig  
sent  
trus  
Por  
coe  
mus  
den  
chie  
S. S  
Imp  
aut  
sing  
Fat  
cem  
Et  
con  
test  
Ott  
eip  
Ego  
eleg



Imperatorem Romani Solij ritè , & solemniter e-  
legimus, & sicut debuimus, ipsius electioni consen-  
simus. Quæ postrema verba nihil aliud infe-  
runt, quàm electionem ab ijs omnibus con-  
corditer esse factam, & à posterioribus ma-  
gis per expressum consensum, & approba-  
tionem, quàm repetitam electionem. Et sunt  
communis styli, imò & rationis, vt primus  
eligat, in quem reliqui si concordant, con-  
sentiunt. De Electione Ludouici Bauari Pe-  
trus Archiepiscopus Moguntinus ad Rom.  
Pontificem futurum N. \* ita scribit, de se, &  
coelectoribus: *Nos Electores predicti consensi-  
mus concorditer in eundem Lodouicum. Et ibi-  
dem in ipsa electionis forma: Ego Petrus Ar-  
chiepiscopus Mog. &c. eundem Lodouicum inuocata  
S. Spiritus gratia in Romanorum Regem eligo in  
Imperatorem futurum promouendum. Electione  
autem huiusmodi celebrata, eam Nos omnes, &  
singuli Electores predicti presentes approbauimus.*  
Fatuus autem is esset, qui ad Rom. Pontifi-  
cem scriberet, se huius vel illius Cæsaris ele-  
ctioni consensisse, ideoque rogare, vt talem  
confirmet, nisi idem ius etiam haberet & po-  
testatem dissentiendi.

Alij item, qui tunc temporis ex aduerso  
Ottonem IV. elegerunt, post imperij Prin-  
cipes, Episcopos, & Duces rotundè dicunt:  
*Ego N. Abbas elegi, & subscripsi. Ego N. Comes  
elegi, & subscripsi, &c.*

\* Sedes e-  
nim eo  
tempore  
vacabat.

4. Ratio.

lib. 4.  
Epist. 3.

\* familia  
Ducum  
Carolingiae,  
vel Zarin-  
giae prope  
Friburgū  
Brisgoie v-  
na cū titu-  
lo interijt,  
bona iure  
heredita-  
tis perue-  
nerunt ad  
Domum  
Austriacā.

Quarto si cui fortè ex allegata praxi, lite-  
risque, & actis ipsorum Principum, quasi illi  
de facto aliter quàm primitus institutum  
fuit, ac præscriptum, processissent, adhuc  
scrupulus hæret, euellemus illum ei, ipsorum  
quoque Romanorum Pontificum, qui ple-  
nam fidem soli nobis facere possunt, testimo-  
nijs. Extant diuersæ illorum literæ ad Ger-  
maniae Principes datæ, & inter alias, quas  
Gregorius VII. ad omnes Episcopos, Duces,  
atque Comites Teutonicos de noui Regis  
electione faciendâ, si Henricus (scil. IV.) in  
Synodo excommunicatus non resipiscat scri-  
psit; quo satis indicat ad eos omnes hoc ius si  
non equaliter tamen communiter pertinere.  
Et Papa Innocentius III. tantum abest, vt E-  
piscopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, a-  
lijque Nobilibus Alemanniae, qui in discor-  
di electione alij pro Philippo, alij pro Otto-  
ne, Apostolicâ authoritate confirmando, &  
inungendo, supplices scripserant, neget ius,  
& facultatem Regem Romanorum eligendi  
competere, vt omnino illis hoc ius disertis  
attribuat, adscribatque verbis, in sua super  
hoc negotio epistola ad Bertoldum Ducem  
\* Carolingiae, quæ extat in cap. *Venerabilem de  
Electione Verum illis Principibus ius & potesta-  
tem eligendi Regem, in Imperatorem postmo-  
dum promouendum, recognoscimus, vt debe-  
mus, ad quos de iure, antiquâ consuetudine nos-*  
citur.

citur pertinere, præsertim cum ad eos ius, & po-  
 testas huiusmodi ab Apostolica Sede prouenerit.  
 &c. Et quod Pontifex de ijs ipsis, qui literis  
 suis coram ipso comparuerant, in hac sua \*E-  
 pistola loquatur, constat ex verbis sequenti-  
 bus. *Sed & Principes* (quo potiorum titulo  
 comprehendit omnes, qui scripserant) *reco-*  
*gnoscere debent, & utiq; recognoscunt, sicut iidem*  
*in nostra recognouere presentia, quod ius, & au-*  
*thoritas examinandi personam electam in Regem,*  
*& promouendam ad Imperium, ad nos spectat, qui*  
*eum inungimus, consecramus, & coronamus.* Vbi  
 patet, quàm vitiosè capituli istius titulus, vel  
 inscriptio quadret prædictæ INNOCEN-  
 TII Epistolæ, quæ sic habet: *Electio Im-*  
*peratoris spectat ad Principes Germanos, tres*  
*prelatos, & quatuor laicos, nisi eius author,*  
 Henr. Card. Ostiensis, aliusue iunior, E-  
 lectionem per septem tales referre volue-  
 rit ad institutionem, vel usum sui temporis.  
 Qui error reliquis omnibus scriptorib. Hen-  
 rico Ost. posterioribus, Magnis Theologis,  
 & Iurisconsultis, alijsque Historiographis  
 lapidem posuit offensionis, vt omnes ij ex-  
 istimarint septem Principum Electorum  
 fieri mentionem à Papa INNOCENTIO  
 III. ad quos de iure, & antiquâ consue-  
 tudine à Sede APOSTOLICA hoc e-  
 ligendi ius peruenerit, authore scilicet  
 PAPA GREGORIO, contra literam,

\* Epistola  
 hæc inte-  
 gritati suæ  
 restituta  
 est ab An-  
 tonio Au-  
 gustino, &  
 Iacobo  
 Cuiacio, in  
 qua Pon-  
 tifex etiam  
 ait, quod  
 literas  
 Principum  
 diligenter  
 perlegi fe-  
 cit, &c.

& mentem Innocentij, qui de multò pluribus loquitur, de ijs nempe, quorum alij Philippum, alij Ottonem elegerant.

Non negarem tamen ego eundem Pontificem perlentisse multitudinem Principum, aliorumque Nobilium, in Regis electione saepe confusionem, quæ in sequente schismate se nimis prodidit, parere, & peperisse; nec in discordia electum, siue suo, siue eligentium vitio inhabilem, & criminofum, facile in illa confusa eligentium multitudine amoueri, aut rursus abdicari posse, sicuti Philippus contra Apostolicam denunciationem, personæq; suæ improbationem in regimine perstitit ad mortem vsq;: Longa etiam experientia ex successoribus Papam Gregorium IX. animaduertisse insolentem, & penitus peruersum Cæsarem à procerum multitudine institutum, non pari facilitate destitui posse, quâ eligi: quod præ oculis ille vidit in Friderico II. quem cum à Principibus exautorari vellet, nihil tamen apud eos obtinuit, attestante Alberto in Chron. his verbis: *Papa Gregorius insolentias Imperatoris cōtra Ecclesiam metuens, Principes super electione alterius sollicitauit, sed nihil profecit, donec synodali sententia eum imperio priuaret Innocentius IV; ita vt priuilegium à Sede Apostolica Germanis datum, eiusdem S. Sedis autoritate, si ijs nõ auferendum, corrigendum fuerit, & mutandum in melius.*

Quartò

Quartò admodum probabilis hinc efficitur assertio; Contilium de Cæsareæ Electionis officio posthac paucioribus, nempe septē duntaxat Principibus eminentioribus committendo, à Papa Innocentio IV. in generali Concilio Lugdunensi I. postquam in eo Fridericus II. excommunicatus, & exauctoratus fuit, suggestum, præceptumq; fuisse, licet ipsum non statim anno primo, vel secundo, in electione Henrici, & V Vilhelmi, aut etiam Richardi, quos alii in isto turbato Imperij statu prætereunt, fuerit obseruatum, & tractum in usum, tum quòd Fridericus adhuc viueret, tum quod pleriq; Germaniæ Principes eum necdum desererent. Quæ hanc sententiam probabilem faciunt rationes, sunt;

Primò, quod scriptores, quotquot in historijs suis septem Principum Electorum expresse & nominatim eorum, qui adhuc nostro sæculo eligunt, meminerunt, non ante, sed circa, & post illud tempus demum apparuerunt. Antiquissimus enim, & primus omnium, quem videre licuit, est Albertus, Abbas Stadenſis, mihi tamen vehementer in hoc suspectus, qui historiam suam terminat ad annum 1256. quo Fridericus in die S. Luciae animam exhalauit. Secundus ab eo est Martinus Polonus, qui res gestas Pontificum & Imperatorum persequitur vsque ad Honorium IV. qui sedere cæpit Anno 1285.

I. Ratio.

sed neuter eorum historicè refert & indicat annum, vel authorem, quo primum cæperit hæc illorum institutio, sed occasionaliter facit septem Principum qui Romanorum Regem eligunt, mentionem, loco qui cuique in scriptis suis occurrit opportunus hoc dicendi, Stadenſis in Papa Gregorio IX. Polonus in Imperatore Ottone III. Sit cum eo tertius Henr. Cardinalis Ostienſis, Polono ſynchronus, de quo ſupra, qui ſimiliter loco, quem putavit, congruo, \* ait: *Electio Imperatoris ſpectat ad Principes Germanos, tres prælatos, & quatuor laicos*, ubi tamen nullos eorum nominat, neque etiam iſtius ſanctionis indicat authorem, vei principium. De reliquis iunioribus nihil attinet dicere, dummodo conſtet de primis, vel omnium primo. Hinc inquam videtur probabile, Regis electionem per ſeptem viros, ætate Alberti, qui primus de ea loquitur, initium accepiffe.

\*Decretal.  
lib.1. de  
Electione,  
tit.6. cap.  
34. venerabilem, &c.

2. Ratio. Secundò, formæ priſtinæ eligendi Regem per communem omnium Procerum conſenſum mutatio fieri non potuit, niſi auctoritate Sedis Apoſtolicæ à ſummo Pontifice, cuius eſt principaliter & propriè diſponere de dignitate S. R. Imperij, & Imperatoris, qui Catholicæ Romanæ Eccleſiæ Aduocatus eſt, & præcipuus Defenſor: à quo etiam prior eligendi forma, imò ipſamet Impe-

Imperij translatio, & concessio dimanasse noscitur, & ferè in plena congregatione; inde verisimiliter facta dicitur in Concilio Lugdunensi I. An. 1245. quo tempore Albertus scripsit, & ante quod in vlu non fuit.

Tertiò, multum confirmat præcedentia <sup>3. Ratio,</sup> non solum quæ tempore istius Concilij fuit, occasio, & opportunitas corrigendi mala, quæ erant circa Imperatoris, siue electionem, siue, postulante causa, deiectionem, in qua Pontifex difficultates, & magnas sæpe patiebatur à Principum multitudine aduersitates, sed quoque in primis extrema temporis istius necessitas, & præsens malum eminentiorum principum compendio deponendi Fridericum, & eligendi alium.

Cum his omnibus benè etiam congruit, <sup>4. Ratio,</sup> quod qui post prædictum Concilium Lugdunense I. floruerunt summi Pontifices, & Principes, posthac aliter loquantur, scilicet de Principibus Electoribus duntaxat; item de certis Principibus Electoribus. Gregorius Papa X. qui annis post illud 26. post Innocentium IV. verò 17. sedere cæpit, causa diuturni quod tunc erat, Interregni, monet *Principes Electores duntaxat*, vt Ecclesiæ, & Imperij satagentes eligant Romanorum Regem.

Papa etiã Clemès V. qui sedit adhuc feriº in cõcilio generali Viēnēsi A. 1311. & 12. celebrato  
expres.

\* Clement  
lib. 5. tit. 9.  
de iureiu-  
rando.

expressè dicit ius & potestatem eligendi Regem, ad certos Germanorù Principes ab Ecclesia peruenisse. Oecumenica enim Synodus in qua à summo Pontifice sic statutum prætendimus, repræsentatiua dici solet Ecclesia. \* *Romani inquit, Principes Orthodoxæ fidei professores sacrosanctam Romanam Ecclesiam, cuius caput est Christus Redemptor noster, ad Romanum Pontificem, eiusdem Redemptoris vicarium, seruiore fidei, & clara deuotionis promptitudine venerantes, eidem Romano Pontifici, à quo approbatione personæ ad Imperialis promptitudinis apicem assumenda, nec non vnctionem, consecrationem, & Imperij coronam accipiunt, vt sua submitterent capita non reputarunt indignum, seque illi, & eidem Ecclesie quæ à Grecis Imperium transtulit, in Germanos, & à qua ad certos eorum principes ius, & potestas eligendi Regem, in Imperatorem promouendum, peruenit, astringere vinculo iuramenti &c.*

Certis quoque Principibus ius eligendi Romanorum Regem à Sede Apostolica concessum, profitetur post supra dicti Conciij tempus, in sua, quam An. 1303. Kal. Augusti Noribergæ scripsit epistol. ad Papam Bonifacium VIII. Imperator Albertus I. Sanctissimo in Christo Patri, & Domino nostro, Domino Bonifacio diuina providentia Sacrosanctæ Romanæ, ac vniuersalis Ecclesie, summo Pontifici, Albertus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus,



gustus, deuota pedum oscula beatorum. Profiteor  
 Beatissime Pater, me bonorum omnium largitori,  
 ac vobis, & Sanctæ Ecclesiæ tuæ fore pro innumeris  
 misericordijs, & immensis beneficijs obligatū &c.  
 Et post pauca: Recognoscens igitur quod Roma-  
 num Imperium per Sedem Apostolicam de Græcis  
 translatum est in persona magnifici Caroli in Ger-  
 manos, & quod ius eligendi Romanorum Regem in  
 Imperatorem postmodū promouendum, CERTIS  
 Principibus Ecclesiasticis, & secularibus est ab ea-  
 dem Sede concessum.

Similia etiam ante dictum Imperatorem  
 \* Ludouicus II. Princeps Elector Palatinus,  
 sub Rodulpho I. Imp. quem primum om-  
 nium ab ijs certis principibus contendimus  
 electum, in publico suo programmate tan-  
 git verba. \* Ludouicus Dei gratia Comes Palati-  
 nus Rhemi, Dux Bauariæ, vniuersis presentem pa-  
 ginam inspecturis salutem in authore salutis. Com-  
 plectens ab olim sibi Romana Mater Ecclesiæ, qua-  
 dam quasi germana charitate Germaniam, illam  
 eo terrenæ dignitatis nomine decorauit, quod est  
 super omne nomen temporaliter tantum presiden-  
 tium super terram, plantans in ea Principes, tan-  
 quam arbores præelectas; & rigans illas gratia  
 singulari illud eis dedit incrementum mirandæ po-  
 tentiæ, vt ipsius Ecclesiæ auctoritate suffulti, velut  
 germen electum per ipsorum electionem, illum qui  
 fræna Romani Imperij teneret germinarent. Hic  
 est illud luminare minus in firmamento militantis  
 Ecclesiæ,

\* apud Ba-  
 ron. to. 10.

\* Has lite-  
 ras ab om-  
 nibus si-  
 mul impe-  
 rii Electo-  
 ribus ad  
 Rom. Pōt.  
 scriptas re-  
 citat Car-  
 dinalis

Bellarmin.

de transl.

Imp. lib. 3.

c. 1. hoc  
 exordio:

Nos Princi-  
 pes Imperij

vniuersis  
 presentem

paginam  
 inspecturis,

&c. nisi  
 fortè Lu-

douicus ex  
 plenipotē-

tia, & no-

mine om-

nium scri-  
 pserit, sicut  
 etiam  
 Rudolphū  
 elegit.

*Ecclesie, per luminare manus Christi Vicarium illustratum. Hic est, qui materialem gladium ad ipsius nutum excutit. &c. Sed necesse non est (quæ enim assertione præcedente dixi hætenus, superabundanter dixi) quætionem tam nobilem, tantique momenti, & in qua vertitur honor S. Romanæ Ecclesie, omnium fidelium Matris, & gentium Principis, à qua pendet S. Romani Imperij dignitas, & salus, velle nostris definire coniecturis, aut rationibus astruere probabilibus.*

AUTHOR CAESAREAE ELECTIONIS PER SEPTEM DVNTAXAT Principes, tres Ecclesiasticos, & quatuor laicos, est Innocentius Papa IV.

**V. Positio.** **I**CITVR quinto, saluo vniuscuiusque sensu, & arbitrio, certa stat apud me omninò ac indubitata sententia, septenarium Principum Electorum numerum sancivisse, ac instituisse Papam Innocentium IV. in Concilio generali Lugdunensi I. postquam Friderico II. synodaliter excommunicato omnis Imperij potestas, & authoritas fuit abrogata Anno. 1245. Quod in suis refert & attestatur Chronicis, eodem vixit, & scripsit tempore, Matthæus Parisiensis, qui historiam suam perduxit usque ad

que ad annum 1250. vti ipse ad calcem libri  
 his indicat verbis: *Hic terminantur fratris Mat-*  
*thæi Parisiensis, Monachi S. Albani Chronica, quæ*  
*pro vtilitate posteritatis subsēcuturæ, Dei pro a-*  
*more. & B. Albani Anglorum protomartýris hono-*  
*re, ne memoriam euentuum modernorum vetu-*  
*stas, aut obliuio deleat, literis commendauit.* Sed  
 quia liber editus est à Sacramentarijs & vvin-  
 glianis Tiguri, & prius à Calvinistis An-  
 glicanis Londini, Anno. 1571. nec paucis in  
 locis vitiatus; Author etiam in sedem A-  
 postolicam iniquior, subinde eam suis cauil-  
 lis, & calumnijs pupugit, sinceriores Catho-  
 lici authorem, eiusq; librum contemptim e-  
 leuant, & aspernantur. Nec iniuria: vtrum-  
 que ipsemet non minus queror, & doleo. In  
 re tamē vera nullius puto testimonium, cum  
 opus est, respuendum, quia non quis, sed quid  
 dicatur, semper attendēdum. Non enim con-  
 tinuò omnia mali hominis mala sunt & falsa,  
 quæ dicit, aut scribit. Et tantū abest, vt hære-  
 retici Zvvingliani, siue Calvinistæ, fictè talia  
 libro manuscripto insperferint, aut inferue-  
 rint, vt mirer illos eiusmodi, antequā typis  
 euulgarēt, pro ingenio suo, ex odio Pōtificis,  
 & veritatis, prors' nō erasisse, aut liturâ indu-  
 xisse. Quod desuper obijcitur illi, quod fuerit  
 Monachus in Anglia, in cella sua delitescēs,  
 ideoq; acta Cōcilij trās mare ad ipsū minimè  
 peruolitarint, id humana suggerit non ratio,  
 sed

sed passio. Etiam Angli dicto generali Concilio interfuere, à quibus, si ipiemet præsens non fuit, accipere potuit. Quo autem pretio scripta illius æstimanda sint, grauisima duorum sæculi nostri eruditissimorum S. R. E. Cardinalium censurâ appendam. Cardinalis Bellarminus in libro suo de scriptoribus Ecclesiasticis ad annum 1245. De Matthæo Parisiensi in obseruatione sic ait: *Hæc historia multa habet scitu digna, præsertim de rebus Ecclesiasticis, de Concilio Lugdunensi; de dissidio inter Ecclesiam & Imperium. Sed quoniam edita est ab Hæreticis Tigurinis, cautè legenda est: non pauca enim leguntur tum in ipso libro, tum in notis marginalibus, quæ videntur addita ab hæreticis ad inuidiam constandam Ecclesie Romanæ.* Cardinalis Baronius Tom. 10. ad annum 996. Vbi quæstionem hanc de septemuiratu non leuiter tractat, sic ait: *A quo libro (Matthæi Paris.) si quis demat calumnias, inuectiuas, dicacitates, & blasphemias in Apostolicam Sedem frequenter iteratas, aureum sanè dixerit commentarium, ut potè quod ex publicis monumentis totidem verbis redditis, ut dictum est, egregiè contextum, & coagmentatum inueniatur. In quo quidem inter alia nobilia monumenta habentur Acta Concilij Lugdunensis Oecumenici, cui interfuerunt imprimis ipse qui indixit, Innocentius, Papa quartus, anno Redemptoris millesimo, ducentesimo, quadragesimo quinto, simulque duo Patriarchæ*

Oriens.

Orientalis, Constantinopolitanus videlicet, & Antiochenus, suamque presentiam eidem exhibuit Imperator Constantinopolitanus, præter alios Principes, Regumque Legatos, post præsides diuersarum Ecclesiarum. In eo autem post excommunicationis sententiam promulgatam ab ipso Pontifice in Fredericum imp. post tractationem eorum, quæ spectant ad expeditionem in subsidium terræ Sanctæ, complura alia ad statum Ecclesiæ benè disponendum constituta sunt, & inter alia titulus est additus de Electionibus oblitium decisionem, in eoque simul septem definiti ab eodem Pontifice Electores Imperatorum; nempe hi ex laicis, Dux Austriae, Dux Bavarie, Dux Saxonie, Dux Brabantie, qui & Louanie. Ex prælatis Archiepiscopus Coloniensis, Archiepiscopus Moguntinus, Archiepiscopus Salisburgensis. Hæc Baronius ex Matthæo Parisiensi, & de illo.

Nec, inquam, obstat, quod alios, aut non omnes eisdem Principes septem viros, qui à principio soli munere isto perfuncti fuerunt, referat ad eligendum in eo concilio deputatos. Etenim distinguere hic oportet inter Pontificis decretum siue statutum, & eiusdem consilium, seu placitum. Pontifex pro electionis faciliore & meliore in posterum modo definiuit septenarium Principum Electorum numerum, quo comprehensos voluit ex principalioribus tres Ecclesiasticos, & tres laicos cum quarto, loco Definitoris,

K

toris,

toris, & Arbitri. Decretum hoc illius stat firmum, & inuiolabile, donec ipse reuocet; neq; licet vel Imperatori, vel Interregibus, aut etiam omnib; coniunctis Principibus, numerū istū Electorū à Pontifice sacratū tollere, vel immutare, numero isti alios addere, vel demere. Vnde patet Romanū Pontificem quotiescunq; hic ordo, vel numerus turbatur, vt cum vnus alterius Electoralem dignitatem, & regnum, seu prouinciam iure, vel iniuria suæ coniungit & copulat, ius habere se interponendi, & monendi Imperatorem, aliosque Electores Principes, ne septem candelabra ab Ecclesia in Imperio ad prælucendum alijs posita, patiantur redigi ad sex, vel vt verbis vtar Ludouici Electoris Palatini, ne ex præelectis arboribus, quæ germinant illum qui fræna Romani Imperij teneret, vnā vel alteram finant minui, excidi, alij complantari, aut vllō modo sterilefcere, & perire.

Illi verò, quos Matthæus Principes Electores in prædicta Synodo deputatos enumerat, ex consilio Pontificis tunc propositi, vel nominati videntur; vtpotè qui illi tunc temporis præ cæteris visi fuerunt eminentiores, vel officio isti aptiores. Cur autem Regem Bohemiæ (Rex enim iam tunc erat, & Reges huc vsque permanferunt ab\* Otocaro, cui, & vxori eius Moguntia Regiam dedit coronam Philippus, An. vt habetur in

Fragmen-

\* alij Premislaum  
vocat,

Fragmēto Historico, quod Argentīnēsi pręmittitur, 1198.) pręteriuerit vnu ex Magnatibus S. R. Imperij eminentissimū, fecit forte iā existentis peculiaris Regni ratio. Alioqui & ipsi à tēpore, quo recepti sunt in fidē, & cliētelā Imperatoris, electionibus per generales curias celebratis electores interfuerūt; quod publicis declarauit literis Erfurdix datis 6. Cal. Octob. Anno 1290. Imp. Rudolphus Habsp. Principes autem Imperij, qui septenarium Electorum numerum in Concilio definitum postea acceptarunt, Friderico demortuo, (viuentem enim, licet excommunicatum, & depositum, pleriq; adhuc fouebāt) aliquos Electores in eo nominatos, ipsi inter se mutuo consensu, præuia quadā libratione, mutauerūt in eos, qui ex tunc huc vsq; ad eligendum confederunt. Neq; legitur, quod scio, Pontificē, qui intimam Principum, vel prouinciarum notitiā non semper habet, factum improbasse. Imò, vt hoc sub correctione dicā, ad Imperatorem, & tempore interregni, ad congregatos imperij Principes spectat de suis tractare differentijs, alijsque in Imperio occurrentibus causis, & necessitatibus, autoritate propriā, & absolutā, modò stet, quoad Electores vtriusq; status Principū ordo, & numerus Apostolicā autoritate sancitus; neq; in eo præualeāt ob labem aliquam ab Ecclesia denunciati. Hac autoritate, &

iure suo nifus, Serenissime Princeps, Carolus V. gloriosissimæ memoriæ Imperator, in VVitikindea familia tua Ioh. Fridericum Friderici II. ex filio seniore Ernesto pronepotem, sibi obstrepentem, armaq; inferentem, deuictum, & captum d. 24. April. Ann. 1547. Electoratu Saxonix exiit die 18. mensis sequentis Maij: Mauritium verò ex eadem familia, eiusdem Friderici II. ex filio iuniore Alberto Animoso similiter pronepotem, Electorem instituit, cui, sine prole mascula mortuo, germanus frater Augustus, auus tuus, successit.

Porro hunc Principum consensum expressè indicat, Albertus, Abbas Stadenfis, & opinione meâ, alius posterior, libro iam absoluto inseruit loco quem putauit commodo, ad an. 1240. dum ait: *Papa Gregorius insolentias Imperatoris contra Ecclesiam metuens, Principes super electione alterius sollicitauit, sed nihil profecit, quia quidam Principum ei rescripserunt, non esse sui iuris Imperatorem substituere, sed tantum electum à Principibus coronare. Electio enim ad illos dignoscitur pertinere. Ex prætaxatione Principum & consensu eligunt Imperatorem Treuirensis, Moguntinus, & Coloniensis; Palatinus eligit, quia dapifer est; Dux Saxonix, quia Marscalcus, & Margrauius de Brandenburga, quia Camerarius. Rex Bohemix, quia pincerna est, nõ eligit, quia Teutonicus non est.* Loquitur iuxta conditionem vel statum sui temporis. Hæc



Hæc, inquam, (cuiuscunque sit) ad locum istum appolita explicatio, & textui inserta, cum historia quam narrat, parum bene cohæret, & respectu temporis quo refert, veritati non congruit. Imò omnium Electionum exemplis præcedentibus, & sequentibus, quæ Albertus ipse denarrat, repugnat. Neque enim Imperator Fridericus qui tunc, & decennio adhuc post, vixit, neque etiam ante ipsum vllus alius ab ijs septem duntaxat Principibus fuit electus, quod inductione exemplorum manifestum feci suprâ. Imo talis inter eligentes Principes ordo necdum fuit, vti ostendam infrâ: ita vt securè affirmare a usim illam posterius (nescio à quo) contextui insertam esse. Satis tamen validè declarat, postquam Papa septem duntaxat ad eligendum ordinavit, illos ipsos, qui soli ad nostram usque ætatem elegerunt, ex prætaxatione principum & consensu eligere. Quando autem, & vbi, hoc est, quo temporis præcisè die, ac loco, hæc Sanctio Apostolica de septenario Principum Electorum numero in Concilio Oecumenico Lugdunensi. I. lata; in Electione verò Regis Rodulphi Habsp. omnium primò practicata, vel in usum tracta, à primatibus Imperij per prætaxationem Principum, & consensum in certas Personas, recepta fuerit, & talib. Principibus appropriata, necdum comperi. Verisimiliter tamen

contigisse in generali curia Francofurti paulò antè electum Rudolphum; cum iam ad eligendum Regem conuenissent, colligimus ex Fragmenti Historici, quod Chronicon Argentinensis præcedit, vltimis verbis: *Cum autem Regnum Romanorum vacaret à tempore Richardi Regis, qui Romani Imperij (licet profecisset modicum) assumfit gubernacula gubernanda, & nullus Alemannia Principum propter metum Aliquorum Alemannia, sibi Romani Regni Regimen assumere vellet, qui partem imperatoris & suorum contra Ecclesiam fouebant: & medio tempore in partibus Alemannia, & aliarum circumiacentium per diuersos spoliatores viarum & nobiles ipsius terræ fuerint insolentia perpetrata quàm plurimæ, tempore Gregorij Papæ decimi, apud quem per diuersos Alemannia nobiles, & alios transeuntes sæpe & sæpius querimonia super tanta importunitate vertebatur, inuito consilio præcepit Principibus Alemannia Electoribus duntaxat, vt de Romanorum Rege, sicut suâ ab antiqua, & approbata consuetudine intererat, prouiderent, infra tempus eis ad hoc*  
*\*Statutum. de Papa Gregorio \*statuto: alias ipse de consensu Cardinalium, Romani Imperij prouidere vellet desolationi.*

*Mandato autem Apostolico viso ab ipsis Principibus & recepto, conuenerunt apud Fanckensfurt, de electione Romanorum Regis tractaturi. Qui vtrique se electores diuersis inter se tractatibus & diuer-*

diuerticulis habitis non poterant de electione concordare, reducentes sibi inuicem \* memoria vniuersorum Nobilium per omnem gyrum Alemaniae regionis. Qualiter autem vltimò concordabant in Dominum Rudolphum Comitem de Habespurg, eligendum in Romanorum Regem, in sequenti opusculo patebit. His additur FINIS.

\* memoria  
riam.

Sextò; postquam inter Principes numerus Electorum septenarius receptus est, & certis personis, aut prouincijs, accommodatus, à quibus omnium primus electus fuit dictus Rudolphus, lites aliquæ oriri cæperunt, contendente Henrico, Duce Bauariæ contra Ludouicum Comitem Palatinum fratrem seniore, cui ipse nō minus, quàm alij coelectores potestatem fecerat sæpedictum Rudolphum in Regem eligendi. Imperator Rudolphus iudex, accepti beneficij memor, & gratus agnoscit beneuolentiã, & suffragiũ prole prædicti Hærici sicuti & aliorũ coelectorũ, Ludouico fratri cõmissũ, & ne recēs positum fundamentũ per septem duntaxat Principes Regem eligendi, adiiciendo octauũ, ipse subruat, declarat vtriusq; fratris Henrici Bauariæ Ducis, & Ludouici Comitis Palatini vota pro vno in septem Electorũ vocibus esse cõputãda, ostendēs etiã Bauariæ Ducẽ olim Richardũ, (imò & Fridericũ, II. & Reges alios, quod attestatur Abbas Vrsp. & alij) tãquam è primarijs vnũ voto suo elegisse. Verũ placida

VI. Posi-  
tio.

illa accommodatio posteritati, & futuris temporibus non benè inferuire potuit. Itaque Rudolphus postea Comes Palatinus cum germano fratre Ludouico, qui sequente anno in Regem Romanorum electus fuit, inter se pacti sunt, vt alternatiuè posthac eligerent, Monachij, Anno 1313. Filij quoq; vtriusque fratris, Regis Ludouici, & Rudolphi, vt parentum tale pactum magis confirmarent, ipsi in eundem pro se, & suis hæredibus, concordarunt sensum, cuius pacti vigore, & intuitu Stephanus, Dux Bauariæ, peculiare publicè edidit literas: Ne quis ius suum quod habere noscitur cum alijs Coelectoribus in electione Regis Romanorum, interuertat, illi quicquam deroget, aut quomodocunque præiudicet. Anno 1338.

Superuenit postmodum casus ille, quo contra Ludouicum fulmine Apostolico excommunicatum, & deiectum suscitatur, & eligitur Carolus IV. Is Imperator propensior in Comitem Palatinum, quam Ludouici Bauari, in cuius locum surrogatus erat, posteros, per Cæsareum Decretum aureæ Bullæ insertum, Electoralem dignitatem Comitatus annexit Palatinatus, vt qui eum possideret, perpetuus Elector esset, Noribergæ An. 1356. magis personas intuitus, quam Prouinciarum dignitates. Constat enim antiquitùs Bauariæ regnum, & postea Ducatum semper maioris

maioris æstimatum fuisse, quàm Comitatum Palatinatus, vti apud Ditmarum & alios videre est. Exinde verò temporis, quo Comites Palatini potiti sunt Electoratus dignitate, titulum Comitatus (quãuis & ipse Principatus fuerit, *eine gefürstente Graffschafft*) Ducatui prætulerūt. Duces Bauariæ eiusdem stirpis Principes eandem puto ob causam in hoc sese conformarunt; tamen Pontifex Rom. Clemens V, magis ex ratione, & Apostolicam sequens institutionem Rudolpho Electori Palatino hoc titulo tanquam insigniori scribit: *Clemens Papa V. dilecto filio, nobili viro, Rudolpho Duci Bauariæ. &c.*

Eodem fermè tempore motæ fuerunt ab alijs quoque controuersia Saxonum contra Brandeburgenses, quas nonnullorum diremit, & sustulit ipsa mors. In locum quidem VValdemari Marchionis Brandeb. Electoris, sine filijs, & valdè propinquis mortui, Rex Ludouicus Bauarus instituit in Comitibus Naumburgensibus, Anno 1319. filium suum Ludouicum, cui sine prole mascula mortuo in electorali Marchia successit frater eius Ludouicus iunior, *Romanus* dictus, quod Romæ natus esset.

Deinde, ipse ordo inter Electores Septēuiros, si historicis credimus, & exemplis, tunc temporis, quoad nonnullos, non fuit certus, vel omnino idem, qui declaratus fuit postea in Aurea Bulla. K 5 Qui

\* pag. 135.  
 \*al. Wal-  
 ramus.  
 pag. 436.  
 pag. 150.  
 Notetur  
 sæculum  
 plenum  
 turbarum.  
 Eo tempo-  
 re conten-  
 tio fuit, nõ  
 solũ quis  
 legitimus  
 esset Im-  
 perator,  
 sed & qui  
 Electores.  
 Electorũ  
 quoq; no-  
 mina ita  
 variant, vt  
 vna perso-  
 na modo  
 hoc, modo  
 alio appel-  
 letur no-  
 mine, quia  
 eorum ali-  
 qui bino-  
 nymi fue-  
 runt.

Qui enim pro electione Caroli IV. in lo-  
 cum Ludouici IV. à Papa Clemente VI. ex-  
 communicati, *ad Villam Rens super Rhenum, ad*  
*feriam quartam post Margareta. sub An. Do. 1346.*  
 conuenerunt Electores, hoc ordine recēsen-  
 tur ab Alberto\* Argentinẽsi, Balduinus Tre-  
 uirensis, \*V Valderamus Coloniensis, Gerla-  
 cus ( qui recens in locum Henrici à Papa ex-  
 communicati suffectus erat) Moguntinensis,  
 Rudolphus Dux Saxonix, & Iohannes Rex  
 Bohemix. Eodem quoq; numerantur ordi-  
 ne à Rebdorfio, nisi quod hic post Ioh. Regẽ  
 Bohemix Rudolphum Saxonix Ducem col-  
 locet. Similiter anno sequente 1347. Ludoui-  
 co iam mortuo, rursus conuenerunt in cam-  
 po prope Francofurtũ quatuor Principes E-  
 lectores, vt refert idem Argentinensis, ibique  
 elegerunt in despectum, & reprobationem  
 Caroli, Guntherum, Comitem de Svartzẽ-  
 burgh, videl. Henricus (de quo iam iam dictũ  
 est) depositus Archiepiscopus Moguntinus,  
 Ludoticus ( filius Regis Ludouici Bauari, in  
 locum V Valdemari absq; liberis defuncti, à  
 patre institutus) Marchio Brandenburgensis,  
 Rudolphus Comes Palatinus Rheni, & Eri-  
 cus Dux Saxonix, qui cum Rudolpho paulo  
 antè dicto, agnato suo contendit de Electo-  
 ratus dignitate.

Sed, fateor, priuati scriptores non seruant  
 semper legitimum inter viros Principes or-  
 dinem

dinem, ostendam itaq; ex authenticis literis ipsorum Principum Electorum; Moguntini, & Treuirenſis, pro electo Ludouico Bauaro ad futurum (quia Sedes vacabat) Pontificem Romanum scriptis, quas\* nuper publicas fecit \* An. 1618. in *Defenſo Ludouico* &c. Ioh. Georgius Heruuartus ab Hohenburg, Sereniſſimi Bauariæ Ducis conſiliarius, & ordinum prouinciæ Cancellarius, non prorsus eundem qui nunc est, fuisse sæculi istius ordinē inter Electores saltē ſeculares. In ijs clarè videmus vltimum tenere locum Iohannem Ducem Saxonie, penultimum VValdemarū Marchionem Brandeburgensem. Et vt hoc maioris elucidationis addam, fuerunt duo isti postremi Electores inter se agnati, oriūdi à cōmuni progenitore\* Alberto Vrſo, Comite Aſcaniæ, ex cuius stirpe adhuc supersūt Duces inferioris Saxonie Laoburgenses, & Principes Anhaltini.

\*euolua-  
tur Ge-  
nealogia  
apud El.  
Reusnerū.

Septimò, Septenarius vtriusq; status Principum Electorum numerus, ordo, differētia, dignitas, officium, &c. qualiter in aurea sua Bulla Noribergæ in publicis Comitijs Ann. 1356. declarauit Imperator Carolus IV. omnia in illū vsq; diem, quo Diuus Ferdinand. II. Austriacus concordī septem electorum suffragio, Francofurti A. Chr. 1619. d. 28. Augusti electus, & 9. Septemb. Coronatus (cui à Deo viuere, & vincere precamur) Imperij molē suis suscepit humeris, Dei Opt. Max. & Sanctæ Sedis Apostolicæ gratiâ, perstiterunt

VII. Posi-  
tio.

ruant  
es or-  
dinem

salua, deincepsq; spero perflitent. In qua, si quâ temporum malignitate, vel etiam prosperitate veniunt, posthac interpolanda, de ijs despiciat ipse Augustus. Hęc sunt, Serenissime Princeps Elector, quæ occasione Papæ Gregorij V. ex antiqua familia tua quondam orti, primi Authoris, vt Romanorum Regis, in Imperatorem promouendi, electio per libera Imperij Procerum vota fieret, de ipsis Electoribus exinde temporis huc vsq; in gratiam, & honorem inclytæ Domus Saxonicæ libens dixi.

Progredior nunc in Gregorio V. in quo hoc vnum maximè doleo, quod ei, optimo Pontifici supra ætatem prouido, & sapienti, tam breuem fata concesserint vitæ mensuram ad explendum Apostolicum munus suamque sanctitatem orbi patefaciendam. Sedit enim annos tantum duos, menses octo, & dies octodecim, computato Pontificatus initio à mense Iunij, \*Anni 996. vsq; ad obitum eius, qui contigit Ann. 999. \*d. 18. Febr. quod sepulchri eius in Basilica S. Petri epitaphium clarè ostendit.

\*al. Anno  
997.

\*Ditm. tamen lib. 4. benè, inquit, dispositis Romæ omnibus, 2.

Non. Febr. id est 4.

Febr. obiit.

*Hic quem tegit humus, oculis, vultuq; decorum,  
Papafuit quintus nomine Gregorius.*

*Ante tamen Bruno, Francorum Regia proles,  
Filius Ottonis de genetrice Iudith.*

*Lingua Teutonicus, V V angia doctus in vrbe,  
Sed iuuenis cathedram sedit Apostolicam.*

Ad



*Ad binos annos, & menses circiter octo,  
Ter senos Februo commemorante dies.*

*Pauperibus, diues per singula sabbatha vestes  
Diuisit, numero cautus Apostolico.*

*Vsus Francigena, vulgari, & voce Latina,  
Instituit populos eloquio triplici.*

*Tertius Otto sibi Petri commisit ouile,  
Cognatis manibus vnctus in Imperium.*

*Exiit & postquam terrena vincula carnis  
Aequiuoci dextro substituit lateri.*

Non fuit dum sedit Pontifex, in vitijs reprehendendis, & castigandis timidus, aut remissus, neq; pepercit personis summæ etiam dignitatis, quæ correctione opus habebat, quod de eo testatur Pontifex Leo IX. in sua ad Henricum I. Gallia Regem epistola, cuius patrem Robertum, Hugonis Capeti filium, Gregorius coegit dimittere thoro illicito personam quam duxerat, sibi affinitate iunctam, & meritis affecit penis eum, & Episcopos talibus qui nuptijs consenserant. *Pater tuus, inquit Leo, Robertus, laude, & consilio Episcoporum Regni tui, Bertam, matrem Odonis Comitum, sibi duxit vxorem, ob quam rem, quoniam sibi erat affinitate coniuncta, ab Antecessore nostro Gregorio Quinto cum Episcopis, qui placito interfuerunt, reprehensi sunt. Postea ad Sedem Apostolicam venientes, cum satisfactione sumpta penitentia, redierunt ad propria.*

*Contulit quoque Gregorius extremo vitæ an-*

\*apud Sur.  
tom. 2. d. 16  
Mártij.

tæ anno S. Hereberto, recens Colonię electo Archiepiscopo, pallium quod vocant, vt testatur \*Rupertus Abbas Tuitiensis in vita S. Hereberti, ca. 10. quo confirmauit eum in sana doctrina, & verbo vitæ, quod suis mox prædicaret subditis.

Si quis igitur ex priscis Saxonix Principibus posteros, & modernos docere posset Catholicæ religionis, & saluificæ fidei veritatem, næ erit hic ipse Bruno, dictus Gregorius, qui tempore suo vniuersæ Ecclesiæ, totique orbi Christiano Pastor præfuit & Doctor, omnes Christi fideles in pietate, & disciplina, ac moribus pauit, erudiuit, & direxit ad sempiternam cælestis vitæ beatitudinem: Nec ille quicquam in maiorum, ac prædecessorum suorum institutis, quæ ad fidem, & salutem pertinent, mutauit, ijs superaddidit, illisue detraxit, quod nec successores fecisse cum ratione dici potest. Cur igitur illum ex cathedra S. Petri docentem audire Domus Saxonica detrectat? & vitiosum Monachum ex cænobio pietatis & disciplinæ S. Augustini fugitiuum sequi mauult? Nos omnes Catholici, & quotquot Christiani censerī volumus, Gregorij, tanquam summi aliquando Pastoris, vocem, & ductum, nunc sicut tunc, ex Christi præcepto, audimus, & sequimur vtrò; præsertim si quandoq; affectus etiam homines trahunt, nos, inquã Germani, Germani

mani Pontificis, & nonne multò plus sanguinis amore vos Saxones Principes Saxonis Pontificis, veltri consanguinei?

DE S. BONIFACIO, RVSSORVM  
APOSTOLO, ET MARTYRE.

Contemplemur nunc & alterum Saxonicorum Principum decus, S. Bonifacium, cuius quidem genealogiam necdum habeo satis exploratam. Interim historiæ antiquæ, & familiaris illius cū Imperatore Ottone III. conuersatio, satis clarè indicant, fuisse illi genere iunctum, adeoque charum, vt ipsum Animam suam nominare soleret. Quæ enim & qualia de illo testetur, qui proximè temporibus illis vixit Petrus Damiani, vir Sanctus, in vita B. Romualdi, cuius S. Bonifacius discipulus fuit, verbis proprijs hic subiiciam. *Hic Regis fuerat consanguineus, & ita charus, vt Rex illū non alio vocaret nomine, nisi Anima mea. Erat autem apprimè liberalium artium doctrinis instructus, maximeque in modulationis musicae studijs approbatus. Is itaque cum in Cappella Regia moraretur, videns Ecclesiam antiqui Martyris Bonifacij, quæ est Romæ in Auentino, mox exemplo sui æquiuoci ad martyriū desiderium prouocatus ait: Cur ergo etiam ipse martyr esse non debeo? Post hæc igitur Monachus factus, tantâ se abstinentiæ frugalitate constrinxit, vt sæpè*

Cap. 28. a-  
pud Sur.  
tom. 3. in  
mense Iunij

Domini

Dominicis diebus tantum, & feria quinta per hebdomadam manducaret. Nonnunquam autem ubi urticarum, vel etiam veprium cerneret de sitatem, illuc se proijciens volutabat. Ex quo cum quidam frater aliquādo eum corripere, dicens: Hypocrita, quare hoc ad captandos popularis auræ rumores coram omnibus facis? nihil aliud respondit, quam, Tui sunt Confessores, mei sint martyres. Cum verò post diuturnam eremiticæ conuersationis vitam ad prædicandum iam ire dissoneret, Romam primum pergere studuit, & ab Apostolica Sede consecrationem Archiepiscopatus accepit. Retulit autem mihi quidam senex Monachus, qui eum illuc de Ra-uennæ finibus comitatus fuerat, quia in toto illo itinere vir venerabilis cum omnibus quidem qui eum sequebantur, pedestèr ibat, sed ipse iugiter psallens, & cæteros longè præcedens, nudis semper pedibus incedebat. Pro labore quidem itineris quotidie comedebat, sed per singulos dies de medio panè, & aqua viuens in diebus festis ignoto videlicet omni liquamine, quotidiano victui poma qualibet, vel herbarum radices addebat.

Quanta e  
 ius vitæ  
 austeritas.

Cap. 29.

Postquam autem consecratus est, quotidie obseruabat, & monasticum pariter & canonicum in celebrandis Horarum officijs ordinem. Cum vero iam ultra montanos peteret fines, equo quidem vehebatur, sed venerabilis Pontifex, sicuti dicitur, nudis cruribus semper & plantis adèò intolerabilem frigidissimæ regionis sufferebat algorem, vt volens descendere, non pedem ab subherente ferro disungeret

geret, nisi aqua calida subueniret. Ad gentiles autem postremo perueniens cum tanta cepit feruidi pectoris constantia predicare, vt iam nullus ambigeret, quia vir Sanctus martyrium flagitaret. Illi vero timentes, ne, sicut post martyrium Beati Adelberti coruscantibus miraculorum signis, Sclauonia gentis plerique conuersi sunt, ipsis quoque similiter eueniret, longo tempore à beato viro manus artificiosâ malitiâ reprimunt, & cupidissimo mori, nolentes occidere, crudeliter parcunt. Cumque ad Regem Russorum vir venerabilis peruenisset, & constanti animo predicationi vehementer insistere, videns eum Rex squalidis vestimentis indutum, ac nudis pedibus intedentem, opinatus est, quia vir Sanctus talia non religionis causa perferret, sed idcirco potius, vt pecunias congregaret. Promisit igitur ei, quia si ab huiusmodi vanitate recederet, ipse paupertatem eius largissima diuitiarum liberalitate ditaret. Verum Bonifacius mox ad hospitium sine mora reuertitur, preciosissimis pontificalibus ornamentis decenter induitur, & sic ad Regis palatium denuò presentatur. Rex autem videns eum tam decoris vestibus adornatum, ait: Nunc scimus quia te ad vanam doctrinam, non paupertatis inopia, sed veritatis impulit ignorantia. Veruntamen si vis vera credi quæ asseris, erigantur duæ excelsæ lignorum catastæ breuissimo à se interstitio separatæ, & igne supposito cum vaporatæ fuerint, ita vt vtriusque struis vnus ignis esse videatur, tu transi per medium. Quo si laesus ex a-

Apud Rus-  
sos con-  
cionatur.

L

liquæ

Lustralis a-  
quæ, & in-  
censi thu-  
ris anti-  
quus mos,  
& virtus.

liqua parte fueris, ipsis te penitus consumendum ignibus trademus. Sin autem (quod credi non potest) sanus euaseris, omnes nos Deo tuo absq̃ difficultate credemus. Cumq̃ hoc fœdus non solum Bonifacio, sed & cunctis quæ aderant gentibus placuisset, Bonifacius ita vestitus, ut Missarum solemnia celebraturus, prius cum sanctificata aqua, & incenso thure, vndiq̃ perlustrans ignem, dein stridentes flammarum globos ingressus ita exiuit illæsus, ut nec minimus capitis eius capillus videretur exustus. Tunc Rex, & cæteri qui huic spectaculo interfuerant, cateruatim ad pedes se beati viri proieciunt, indulgentiam lachrymabiliter petunt, & baptizari se instantissimâ supplicatione deposcunt.

Cap. 30.  
Rusſi cre-  
dunt in  
Christum.

Cœpit itaq̃ tanta gentium multitudo ad baptisma confluere, ut vir Sanctus ad spatiosum locum quendam pergeret, & in ipsa aquarum abundantia populum baptizaret. Decreuit autem Rex, ut regnum relinquens filio ipse quamdiu viueret à Bonifacio nullatenus separaretur. Frater autem Regis cum ipso pariter habitans, dum nollet credere, absente Bonifacio, ab ipso Rege peremptus est. Alius verò frater qui iam à Regis erat cohabitatione diuisus, cum ad eum vir venerabilis venit, audire verbum eius noluit, sed de conuersione fratris nimia aduersus eum ira succensus, continuò comprehendit: deinde timens, ne si viuum teneret, Rex eum de manibus eius eriperet in sua præsentia, circumstante non parua multi-

multitudine hominum decollari precepit. Statim S. Bonifa-  
 verò & ipse cecatus est, & tantus eum, cum omni-  
 bus qui adstant, stupor oppressit, ut nec loqui, nec  
 audire, nec aliquod humani atis officium agere ali-  
 quatenus possent, sed cuncti velut lapides rigidi, &  
 immobiles permanerent. Rex autem hoc audiens,  
 nimio dolore perculsus, omnino deliberat non solum  
 fratrem occidere, sed & cunctos qui sibi tanti  
 reatus fautores extiterant gladijs trucidare. Sed  
 cum illuc protinus aduenisset, & corpore marty-  
 ris adhuc in medio posito fratrem simul cum re-  
 liquis hominibus sine sensu & motu stupefactus  
 adstare conspiceret, hoc sibi cum suis omnibus  
 placuit, ut pro eis oratio fieret, si forsitan illis  
 diuina misericordia sensum quem amiserant re-  
 formaret: deinde si acquiescerent credere, indul-  
 to crimine, viuerent: sin autem, omnes ultori-  
 bus gladijs interirent. Cum igitur & ab ipso Re-  
 ge, & à cæteris Christianis diutius fuisset ora-  
 tum, non solum prior sensus stupefactis homi-  
 nibus redditur, sed insuper consilium conflagi-  
 tanda veræ salutis immittitur. Nam continuo  
 pœnitentiam sui criminis flebiliter experunt,  
 baptismi Sacramenta cum magna alacritate  
 suscipiunt, super corpus quoque beatissimi mar-  
 tyris **ECCLESIAM** construunt. Ve-  
 runtamen ego, si de huius mirabilis viri cun-  
 cta quæ dici veraciter possunt, virtutum do-  
 na referre tentarem, deficeret forsitan lin-  
 gua, non deficiente materia. HÆC P E T R U S

Damiani in vita B. Romualdi, quam dum describit, discipuli eius S. Bonifacii vitam, & mortem gloriosam, breuiter vnà delineat, quam sic integram hic inferere libuit, vt Saxonix Principes in consanguineo suo Bonifacio, Rufforum Apostolo, ac Martyre, Apostolicam fidem, & vitam, zelum quoq; Dei intueantur, ac imitentur. Quem in cælis cum Christo regnantem suppliciter oro, vt qui in terris nihil ardentius, quàm errantium conuersionem, & salutem concupiuit, manibus, pedibusque promouit, verbi prædicatione, & proprii sanguinis effusione, eandem gloriosis precibus ab eodem Domino nostro IESU CHRISTO posteritati, & genti suæ rogare & impetrare dignetur.

## DE S. HENRICO IMPERATORE.

**A**CCEDO nunc ad S. Henricum, filium Henrici *Hezelonis*, nepotem Henrici *Rixosi*, qui fuit frater germanus Ottonis I. Imp. pronepotem Regis Henrici *Aucupis*. Dux fuit Bauriæ, & Comes Bambergæ, mortuo Ottone III. electus est, Anno Christi 1002. Rex Romanorum, & post annos 12. Romæ coronatus à Benedicto Papa VIII. Imperator \* Anno 1014. De quo breue testimonium Eliæ Reufneri Professoris Ienensis,

\*Vrsp. &  
Albertus  
Stadens.

Ann. 1013,



fis, quia cum veritate consentit huc adscri-  
 bam. *Vir pietate, & vitæ sanctimonia insignis, nec  
 armis ulli priorum inferior, res domi, forisq; gessit  
 maximas, &c.* Ita est. Sed belli laudes, & vi-  
 ctorias, quoad fieri potest, hic præteribo, pie-  
 tatis & sanctitatis virtutes ex Adelbodo, E-  
 piscopo Ultraiectino, & alijs obiter attingã.  
 Omnibus enim recensendis multa folia, imò  
 libri non sufficerent. Certè Religionis Ca-  
 tholicæ feruentissimus cultor nihil omisit,  
 quo eam intra Imperij fines, & extra, longè  
 lateque propagaret, & inter barbaros quoque  
 promoueret. Author potest ipse dici conuer-  
 sionis Regni Hungarię ad fidem Christi, quo  
 pacto, & medio dicam. \* Despondit dedit-  
 que Stephano, qui postea in catalogum San-  
 ctorum relatus est, Hungarorum Regi, Gi-  
 salam sororem suam in vxorem, iuxta cano-  
 nes Ecclesię, si ipse se Catholicę Christianę  
 religioni imbuendum traderet. Capitulum  
 enim in decretis, *Caue Christiane gentili, aut  
 Iudæo filiam tuam tradere, &c.* Item sequens:  
*Non oportet cum hominibus hæreticis miscere con-*  
*nubia, &c.* non de nuptijs solum in præsentī,  
 sed & de sponsalibus interpretor, iuxta an-  
 nexam clausulam, *si tamen se profiteantur Chri-*  
*stianos esse futuros, & Catholicos.* Dicant, & fa-  
 ciant alij quicquid velint, dum copulant per-  
 sonas hæreticam cum Catholica sub spe con-  
 uersionis. Non est solum consilium; *Nolite iu-*

Otto Fris.  
 Chron. li.  
 6. cap. 27.

part. 2. de-  
 cret. Causa  
 28. q. 1. ca.  
 15. 16.

2. Cor. 6.

gum ducere cum infidelibus, sed & manifestum  
 interdictum quod valdè exaggerat Apосто-  
 lus melioris intelligentiæ causa, dicit: *Quæ  
 enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ  
 societas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio  
 Christi ad Belial? &c.* His autem, qui sub spe cõ-  
 uersionis, potius consecutionis dixero tem-  
 poralium honorum, vel bonorum, talia per-  
 petran, reuoco in memoriam illud eiusdem  
 Apostoli; *Non sunt facienda mala, vt eueni-  
 ant bona.* Et rarò, vel nunquam euentus ta-  
 lium nuptiarum votis respondet. Nota sunt  
 exempla magnorum etiam Principum, qui  
 coniuges duxerunt hæreticas, & sepelierunt  
 hæreticas. *Gisalam* autem S. Henrici Imp. so-  
 rorem, *Rex Vngariorum, qui Stephanus dicebatur,*  
*in coniugium expetiuit, sed eam ducere non promer-  
 ruit, donec se Christiana Religionis rudimenta, &  
 sacri baptismatis sacramenta cum omni gente sua  
 suscepturum promisit* *Conr. Vrsperg.* ad an. 1001.  
 Quid autem Rex Stephanus? is non solum se  
 statim erudiendum mysterijs fidei tradidit,  
 quod *Vrsperg.* ibidem subiicit, sed & in dis-  
 ciplina Christi postea adeò profecit, vt post  
 fata Diuis, & cælestibus Regibus Rex conu-  
 merari meruerit, qui in terris totum quoque  
 Regnum suum Regum Regi Christo, illius-  
 que in terris Vicario, Romano Pontifici, in  
 temporalibus ac spiritualibus submit, ac  
 proprium fecit. Qui id testatur publicis litte-  
 ris

Rom. 3.

ris f  
 ipse  
 est,  
 De  
 stol  
 pter  
 mu  
 cau  
 sicu  
 gna  
 à R  
 por  
 ea  
 Reg  
 eto  
 m  
 in  
 gn  
 gi  
 no  
 na  
 ne  
 e  
 sp  
 na  
 st  
 R  
 g  
 m  
 t

ris suis ad Salomonem Vngariæ Regem, est ipse Papa Gregor. VII. Et quia Epist. brevis est, integrâ adscribo. *Gregorius servus servorum Dei, Salomoni Regi Vngarorum, salutem, & Apostolicam benedictionem. Litera tua ad nos tardè propter moram nuntij tui allata sunt, quas quidem multò benignius manus nostra suscepisset, si tua in causa conditio non adeò B. Petrum offendisset. Nam sicut à maioribus patriæ tuæ cognoscere potes, Regnum Vngariæ Sanctæ Rom. Ecclesiæ proprium est, à Rege Stephano olim B. Petro cum omni iure, & potestate sua oblatum, & deuotè traditum. Propterea Henricus piæ memoriæ Imp. ad honorem S. Petri Regnum illud expugnans, victo Rege, & facta victoria, ad corpus B. Petri lanceam, coronamq; transmisit, & pro gloria triumphi sui illuc Regni direxit insignia. quo Principatû dignitatis eius attingere cognouit. Quæ cum ita sint, tu tamen ipse ceteris à regia virtute, & moribus longè discedens, ius & honorem S. Petri, quantum ad te imminuisti & alienasti, dum eius Regnû à Rege Teutonicorum in beneficium (sicut audiuimus) suscepisti. Quod si verum est, qualiter gratiâ B. Petri, & nostrâ beneuolentiâ sperare debeas, tu ipse si iustitiâ vis atterere, non ignoras, videlicet te non aliter eam habiturum, nec sine Apostolica animaduersione diu regnaturum, nisi sceptrum Regni quod tenes, correcto errore tuo, Apostolica non regni maiestatis beneficiû recognoscas. Neq; n. nos timore vel amore, aut aliqua psonali acceptione (quântum Deo adiuuante poterimus) debitum honorem eius, cu-*

Greg. lib. 7  
2. epist. 13.

*ius serui sumus, iure quæsitum relinquemus. Verum si hæc emendare, & vitam tuam (vt decet Regem) instituere, & Deo miserante adornarè volueris, procul dubio dilectionem S. Romanæ Ecclesiæ, sicut Matris dilectus Filius, & nostram in Christo amicitiam plenè habere poteris. Datum Romæ, quinto Cal. Nouemb. indictione decima tertia, Anno domini 1073.*

Cæterum idem Henricus, qui magno semper zelo, & nisu conatus est barbaros ad fidem, & disciplinam Christi perducere, Græcos schismaticos, & infideles Saracenos, quos ad obedientiam Ecclesiæ pertrahere nequirit, ex Apulia, & Calabria expulit. Et cum tunc temporis calculi tormento grauiter cõflictaretur, miraculosè in monte Cassino, quo deuotionis causa ad Monachos diuenter pietate claros, liberatur beneficio reliquiarum S. Benedicti. Bella verò magna gessit, & victorias celebres reportauit, non tã vi armorum, militumue potentia, quã precum virtute. Hac strauit Bohemos, Vandalos, Henetos. Et cum videret infideles populos istos dare ingentia dâna Ecclesiis, & prouincijs Imperij, præsertim in diocesi Mersburgensi, exemplo Ottonis Magni, votũ nuncupat S. Laurétio, si ope, & auxilio illius tã numerosam hostiũ colluuiẽ superare & delere possit, quod in signum gratitudinis Episcopatum Mersburgensem, quem Otto Magnus in simili necessitate

San-

Sāctissimo Martyri Laurētio ex voto crexit,  
 filius verò Otto II. vniēdo cū Magdeburgēli  
 destruit, instauratū ac dotatū eidem reddet.  
 Quid factū est? Barbarorū multitudine iā in  
 praelium occurrente, S. Henricus flexis orans  
 genibus, vidit Angelū percutientē suo exer-  
 citui præire, & hostiū cuneos in fugā propel-  
 lere. Nec in promisso soluēdo tardus, statim  
 Episcopatum prædictum sub tutelari S. Lau-  
 rentij patrociniō in integrum restituit.

Et iam, Serenissime Princeps, Episcopa-  
 tus ille (vt de alijs taceam) rursus plusquam  
 interiit. Tempore Ottonis II. amisit Ca-  
 thedræ formam; Catholicam fidem, & do-  
 ctrinam retinuit, bona eius quoque cesserunt  
 Archipræsuli Magdeburgēli; nūc superstitione  
 potius quam religione, & multis erroribus  
 contaminatus est, bona eius abalienata, &  
 pro maiori parte in vsus profanos, & sæcula-  
 res conuersa sunt: quid iam dicet, facietue S.  
 Laurentius, qui peccatum Ottonis II. non  
 fuit inultum? Cur non potius te Ottoni  
 Magno Mersburgensis Episcopatus funda-  
 tori, & S. Henrico, illius instauratori, Heroi-  
 bus pietate optimis, dignitate maximis an-  
 numerem? cū in primis ames iustitiā, & iuxta  
 S. \*Euangeliū Christi reddenda putes *quæ sūt* \*Math. 22.  
*Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Spero, spero v. 21.  
 inquā, hāc corā vniuerso mundo laudē nullo  
 sæculo periturā ad æuiternā animæ salutē, &

gloriam, Deo dante, adhuc inibit I O H A N N E S G E O R G I V S Saxoniae Pr. Elector, Imperatoris fidus Achates, qui Germaniae pacem, & Ecclesiae religionem in prouincijs suis celebretur restituisse Catholicam.

\* Otto  
Fris. lib. 6.  
c. 27. Her.  
Contra-  
ctus refert  
an. 1007.

Porro S. Henricus praeter Mersburgensem multas alias quoque Ecclesias immani Sclauorum depopulatione vastatas, Hildesheimensem (vbi à puero educatus, & literis imbutus dicitur) Misnensem, Magdeburgensem &c. reparauit. \* Bambergensem verò non solum à fundamentis erexit, & aedificauit, sed & amplissimis redditibus ac bonis dotauit, An. 1006. Sed haec omnia nihil, in comparatione cum vitae, quam degit sanctitate, quae cum coniuge Cunigunda virgine virgo coniunx vixit in castitate non humana, sed angelica. Docet hoc suo exemplo S. Henricus non solum omnes de familia Principes Saxones virginalem, & conjugalem castitatem, sed & omnes Catholicos, & in primis Clericos quam possibilia sint Christi, cum adiutorio illius (quod volentibus, & petentibus nunquam deest) non solum precepta, sed & consilia. Et tanto magis hoc diuinæ castitatis exemplum S. Henrici praconiandum est, quo prius & antiquius, quod nullum alius Imperatoris praecessit, sed quod pauca aliorum Regum, & Principum Catholicorum subsequuta sunt, Boleslai Regis Poloniae cum Cunigun-

nigunda filia Belæ, Regis Vngariæ; Emmerici filij S. Stephani Regis Vngarię; Eduardi II. Regis Angliæ ex Saxonibus, &c.

Hæc inquam laus S. Henrici magna est vniuersis Imperatoribus, talem Diuum in ordine suo computare posse, & maior fit Germanis, ex quorum natione fuit, maxima verò Principibus Saxonie, inprimis cõsanguineis, ad quorum familiam pertinet. Ad hanc castitatis virtutem dux, & author fuit coniugi suæ, virgini intactæ, quæ vt vulgo incredibilem hanc suam cum castissimo marito continentiam publico probaret argumento, ignitos vomeres nudis plantis miraculose illæsa calcavit.

Sanctissimus tandem Imperator cum sentiret extremum sibi diem imminere, accersitis cõiugis suæ parentibus, & nõnullis Regni Proceribus. Imperatricẽ dextra apprehensam ipsis hoc modo reddidit: Hanc mihi inquit à vobis, imò à Christo Domino traditam, eidem, & vobis virginem restituo immaculatam. Beato sic fine in Domino obdormiuit Bambergæ, An. Christi, vt notat Lambertus, 1024. d. 13. Iulij, ætatis suæ 55.

Sancta verò Cunigunda profectio-

nem illius ad cælos secu-

ta est Anno

1033.

DE

---

 DE BRVNONE, EPISCOPO  
 AVGVSTANO.
 

---

**H**ABVIT S. Henricus fratrem vnicum, in nomine Brunonem, qui & ipse Catholicae Religionis veritatem, & doctrinam posteris Saxonie Principes ex professo docere posset, quippe qui Pastor fuit, & Episcopus Ecclesie & Ciuitatis Augustane, in qua templum S. Mauritij sumptibus fratris Imperatoris fertur extruxisse, in quo ipse honorifice tumulatus requiescit. Sorores vero habuit quatuor, quarum duae se vouerunt in statu Ecclesiastico Deo, Gerbirga Abbatisa Chimensis, & Sophia Abbatisa Padebornensis; duae aliae Sacramento Matrimonij copulatae; Gisala (de qua supra dictum est) S. Stephano Regi Hungarie, cui enixa est S. Emmericum, virginali castitate celebrem; & Hedvvigis, Lutberto, Burggrauiio Magdeburgensi, nupserunt.

---

 DE LVDOLPHO, PRIMO  
 MARCHIONE TVRINGIAE.
 

---

**V**ERBO etiam aliquid dicere liceat de Ludolpho, Brunonis II. filio, & Brunonis I. qui Marchionum Saxoniae, & Thuringiae progenitor, & S. Henrici Patruus fuit, nepo-



nepote. Fuit is quidem Princeps laicus, sed tamen in religione Catholica feruētissimus, quippe qui positis relictisque pietatis suæ monumentis, optimè coram posteris testari potest de vera fide ad salutem. Tres contruxit Brunsvigæ, cuius Dynasta fuit, Ecclesias, vnam SS. Apostolorum Petri & Pauli; alteram B. Magni; tertiam S. Gothardi, in quas ferè omnes suas facultates expendit. Thuringiam ab Imp. Conrado II. vitrico suo adeptus est in præmium nauatæ operæ contra ipsius hostes, Hungaros, Polonos, & Bohemos. Sepultus Mersburgi Anno 1074. in pace requiescit.

---

DE HERMANNŌ,  
Archiepiscopo Coloniensi.

EX eadem etiam prodit familia Hermannus, hoc nomine III. Archiepiscopus Coloniensis, dictus *Dives*, suprascripti Brunonis I. ex secundogenito filio Sigfrido, comite Northeimio Atnepos. Sanè nec ipse aliam coluit, neque nos docuit Religionem, quam Catholicam Romanam, hoc est, Romæ à SS. Apostolis, Petro, & Paulo traditam, & ad finem sæculi vsque depositam, idque magnâ cum diligentia, & prosperitate, quod El. Reusnerus ex Lutheranis ipse fateri cogitur, dum

dum de eo sepulto in Abbatia Sigebergenſi An. 1099. ſic loquitur in ſtirpe VVitikin. *Quum dexterrimè Eccleſiæ præfuſſet deſino cum ſeſttri.* Et verè. Idem enim & noſtri referunt annales. Attentiſſimus fuit rerum Archiepiſcopatus ſui inſpector, & prudens gubernator. Tanta eius fuit authoritas, vt Imperatore abſente extra Germaniam, negotia Imperij ipſe vicariâ operâ adminiſtraret. Nos Coloniēſes computamus illum inter primarios, in ordine Reuerendiſſimorum noſtrorū Præceptorū, quē Saxones quoque, aliique errantes tuto ſequi poſſunt, in via ſalutis ducem, fideique magiſtrum.

---

DE VVITIKINDO II. ET HV-  
GONE CAPETO.

**T**RANSEO nunc Sereniſſime Princeps, ad alteram VVitikindæ lineam, à VVitikindo II. Secundogenito VVitikindi I. filio deſcendentem, quæ multos produxit externarum gentium Principes, Reges, & Imperatores ſcil. Græcorum. Sed promiſſi memor, amore compendij, & breuitatis continebo me in natione Germanica. Non tamē abſte futurum puto, ſi verborationem hic reddam illius, quatenus, & quomodo prædicti Principes, Reges, & Imperatores, de quib. in tracta-

tractatus huius proæmio, ex hac linea dependen-  
deant. Genuit VVitikindus II. filios tres,  
Dietgæmum, à quo nostri oriuntur Germa-  
niæ Principes, Fridericum ἀπαιδα, & VViti-  
kindum III. à quo Hugo prouenit Capetus,  
prædictorum Principum, Regum, & Imp.  
progenitor. VVitikindus enim III. VViti-  
kindi I. & magni nepos Saxo Germanus, cum  
paternas opes tribus fratribus, quorum erat  
ipse natu minimus, non sufficere existimaret,  
generosâ suâ indole excitus, relictâ domo  
paternâ, in Galliam concessit militiæ exer-  
cendæ causâ contra Normânos, sub auspicijs,  
ductuq; Imperatoris Caroli Calui, à quo in  
premiû militaris virtutis, & belli feliciter ge-  
sti Andibus præfectus est. Reliquit post se fi-  
liû Rupertû primû Andium Comitê, qui ob  
virtutes heroicas, & res præclarè gestas *alter*  
*Judas Machabeus* cognominatus est, & à Caro-  
lo Imp. ducatu inter Ligerim, & Sequanâ, qui  
postea in hodiernû vsq; diē Secundogenito  
Regis filio factus est proprius, & vocatur Du-  
catus Aureliæ, donatus fuit. \* Reliquit post se  
filios duos, Otonê (quem illi vocant Vtonê  
vel Vdonem) Ducê Aureliæ, Comitê Ande-  
gauorum & Parisiorum; & Rupert. II. Comi-  
tem Andegauensem, qui vterq; requiescunt  
prope Parisios in oppido, & Ecclesia S.  
Dionysij, quæ Regum Galliæ sepultura est.  
Hic vero Rupertus II. genuit Hugonê cogno-  
mento

\* videatur  
Petrus Al-  
binus in.  
Misnicis  
chronicis.  
fol. 498. &  
499. qui  
compluri-  
bus autho-  
rû testimo-  
nijs id cõ-  
probat.

mento *Magnum*, qui ab Arnulpho Imp. Regno Arelatenſi datus eſt gubernator, & genuit ex Adelheida filia Henrici I. Regis Romanorum Hugonem, vocatum *Scaplarium*, ſive *Capetum*, à quo Reges non ſolum Gallia, qui adhuc diuino munere ſuperſunt, ſed & aliquando Sicilia, Neapolis, Pannonia, Polonia, Nauarra, aliquot etiam Imperatores Byzantini exierunt. Hanc genealogiam tradit in ſuo quoque Chronico Albertus, Abbas Stadenſis ad an. 886. *Vtò, inquit, vir militaris, & ſtrenuus à Principibus Gallia Rex creatur in Palatio Compendij. Hic patrem habuit ex equeſtri ordine Robertum, auum vero V Vitikindum ex Germania profugum. Et idcirco eum in Regem promouerunt, quia Carolus filius Caroli nepotis Caroli Calui Galliarum Regis, cui regnum debebatur, vix adhuc triennis erat, patre deſuncto, cum puer adhuc biennis fuit, matre vix per quadriennium ſuperſtite.*

\* Baron. ad  
an. 987.

\* Mero-  
vingorum.

Falluntur \* itaque, qui progeniem Hugonis Capeti ex patre & matre Saxonis è familia V Vitikindea, deriuant ex ſtirpe Carolina, quos Galli ipſi in ſuis historijs, & annalibus refutant, triplex Regum ſuorum genus diuerſum recenſentes, primum \* Merouæorum à Pharamundo; alterum Francorum à Pipino, ſive Carolo; tertium Capetinorum ab hoc Hugone. Imò Pithæus in rubrica, ſive recapitulatione de origine Regum Fran-

Fra  
cit,  
Reg  
gen  
Cap  
regi  
Car  
qui  
mu  
ue  
nu  
mè  
fit  
ſto  
nia  
Ha  
mi  
tæ  
ad  
de  
be  
or  
ijs  
D  
ci  
ſo  
be  
ha  
te  
p

Francorum in Lud. VIII. planè nobiscum facit, dicens: *Regnavit autem eorum progenies in Regno Francorum vsque ad annum Domini nongentesimum vicesimum sextum. Tunc Hugone Caputio, Comite Parisiensis, & Duce Francorum regnum inuadente, translatum est de genealogia Carolorum in progeniem Comitum Parisiensium, qui de genere Saxonum processerunt. Sed non multum refert, quicquid priuati historici, siue scriptores, pauci siue multi, de hac re pronunciant. Qui se, & suos hac in parte optimè nouit, huius nobis sufficientissimus testis fit ipse Rex Galliarum Franciscus I. qui in Epistola sua ad Principes Ioh. Fridericum Saxoniarum Ducem, Princ. Electorem, & Philippum, Hassiae Landgrauium, consanguineos, & Amicos, vti respectiuè vocat, ex castris ad Cotentum Belgicarum scripta d. 7. Maij, Ann. 1537. & adhuc prolixius in Apologeticâ, d. 23. in eodem mense, & anno Farræ scriptâ, clarè & libenter fatetur se suum ab ipsorum maioribus ortum, & natiuam trahere originem. Verum ijs omnibus missis, conuerto me ad familiam Dietgremi, à quo nationis Germanicarum Principes, qui adhuc Dei gratia superstites sunt & florentes, procedunt. Et sicuti linea VVigberti, primogeniti filij VVitikindi I. quam hactenus obiter decurri, nobis exhibuit potentissimos, deuotissimosq; Romanorum Imperatores, ita hæc altera VVitikindi II. secū-*

M doge.

dogeniti eiusdem VVitikindi I. filij repræsentat ex familia Dietgremi fortissimos, piissimosq; S. Rom. Imperij Principes Electores: Itemq; quã plurimos in ordine clericorũ Archiepiscopos, Episcopos, & Prelatos, ita vt ab ijs similiter præclara Catholicæ Religionis, & pietatis exempla ad posterorum, serorumque Nepotum instructionem peti possint. Interim nec in hac desunt, qui Reges, & Imperatores coronari potuissent, si non præ modestia, & ex magna humilitate scepra oblata recusassent. Laici quidem militaris iustitiæ, vel fortitudinis gloriã potius, quam insigni aliqua sanctitatis notã inclaruerunt. Victoriosa enim gesserunt bella, & iuuerunt Imperatores contra hostes tum Imperij, tum S. R. Ecclesiæ, Slauos, Henetos, siue Vngaros, Prutenos, Northmannos, Danos, Bohemos, aliosque; & vt hoc licentiosè repetam, contra Bohemos quã frequentissimè, qui olim necdum Christiani ductu, & ope Dæmonis Francos in pugna vicerunt, & pepellerunt in fugam. Narrat enim de ijs Sigeberbus in Chronico, ad an. 850. quod proprijs illius verbis expediam. *Franci à Bohemans graui prælio vincunt ut. Cui bello spiritus malignus se præfuisse per os arrepti ij publicè protestatus est, & per se, & per socios, spiritus scilicet superbiæ, & discordiæ egisse, vt Franci terga verterent.*

Quid contigerit tempore Sigismundi Imperatoris

peratoris, quādo Pōtificius & Cæsareus, aliorūq; ferè omniū Imperij Principū exercitus, præter pedites, ad quadraginta millia equitū, hoste non semel viso, fugit, alijs pēsādū relinquo, *Aeneas Sylu & Mech.* Iis nūc Christianis ut Dominus Deus præficiat, & det spiritū humilitatis, timoris, & obedientiæ, in longæua pace, & prosperitate, ex animo precor, opto, & voueo.

DE GERONE, ARCHIEPISCO-  
PO COLONIENSI.

CAETERVM ut in hac Principū Saxoniorum serie nonnullos ex Ecclesiasticis, & laicis priscorum temporum huc conuocē, qui posteros vel doctrinæ, vel vitæ exemplo de Catholica religione, & fide saluifica sincerè informant, præsto est Gero, Christiani filius, V Vitikindi II. ex Dietgremo filio, & Ditmaro nepote abnepos, electus tēpore Ottonis I. mortuo \* Folckmaro, concordibus \*al. V Vol- Cleri votis, & populi applausu Archiepiscopo- meto. pus Coloniēsis, An. 969. certe nō absq; miraculosa Dei cooperatione. Imp. enim Otto, qui illibēter ipsū ad eā dignitatē electū videbat, ideoq; inuestiturā quoad bona Imperij feudalia, non tam differebat quàm detrectabat, ab Angelo in sanctæ Dominicæ Resurrectionis die, districtum in manu gladium habente, minis hisce territus fuit:

M 2

Nisi

*Nisi in Gerone hodie compleueris electionem securus non euadis hanc cædem.* Et Imperator ad nutum Angeli paruit mandato Altissimi, imò postea eundem Geronem, agnatum suum, magno complexus est amore. Contigit & alia visio in consecratione Geronis, relatu digna, in qua apparuerunt S. Petrus, & S. Ambrosius, oleum fundentes, quo ungeretur. Qui hæc tradit \* antiquissimus est author Ditmarus Episcopus Mersburgensis, qui iisdem temporibus vixit. Præfuit Gero Ecclesie suæ magna animi mansuetudine, & pietate, sæpe in deuotione extra se raptus, inque Deum intentus, animæ deliquium passus est, in quo vulgo dicitur ab Euergero, Ecclesie custode, viuis terræ mandatus, verène an fictitiè non inquirò. Obijt 3. Cal. Iulij An. Chr. 976 cum rexisset Ecclesiam, & Archidiocæsin Coloniensem annis septem, sepultus in æde Metropolitana S. Petri. Merito itaque B. memoriæ Gero, diuinitus illustratus, Catholicæ Religionis, & veritatis cum reliquis Ecclesie Dei pastoribus Doctor, Professorque sedeat ad instruendum populos de via salutis, & in primis inclytæ gentis suæ Saxonie Principes, quibus ex propria familia misericors Deus donauit tam illustres Ecclesie, Regni sui, Proceres, quos consanguinea ipsorum posteritas altius reuereri, & propius imitari meritò debebat.

\* Chron.  
lib. 2.

Ditm. li. 3.

DE



---

 DE HVGONE, PRIMO EX HAC  
 FAMILIA MARCHION. BRANDEB.
 

---

**P**ROXIME illi vixit Hugo, Marchio Brā-  
 deburgensis, filius Bruniconis (qui ab Ot-  
 tone III. primus in Marchionem Brande-  
 burg. inuestitus fuit An. 965.) & V Vitikindi  
 II. ex filio Dietgremo Atnepos. Generalis, si-  
 ue supremus fuit dicti Ottonis in Hetruria  
 Præfectus, vbi diuersis in locis septem fun-  
 dauit monasteria. Otium ita fugit, & detesta-  
 tus est, vt ociosos, si potuisset, omnes è mun-  
 do pepulisset. Florentiæ vbi imperabat, ijs  
 nullum voluit esse locum. Requiescit ibidem  
 sepultus An. 1001. in monasterio à se exstru-  
 cto, multisque opibus ditato. Heros dignissi-  
 mus, cuius pietatem, & virtutes alij æmulen-  
 tur. Sed quia calamus ad finem properat, ad  
 reliquos progredior.

---

 DE ALBERTO, ARCHIEPIS-  
 COPO BREMENSI.
 

---

**R**VRSVS insignis se Ecclesiæ Præsul offert,  
 Albertus Archiepiscopus Bremensis,  
 qui sedere cæpit An. 1043. Princeps acris in-  
 genij, memoriæ insignis, eloquentiæ admi-  
 randæ, in pauperes beneficus, Imperatori  
 Henrico III. percharus, à quo Frisiæ Comi-

tatu donatus est. Igitur doctrinâ pariter & vitâ excellens Albertus eam, qua præcessit seræ posteritati viam commonstrare poterit ad cælum. Insuper Monasterium Gozense cum suis fratribus extruxit, priuilegijsque donauit: suam vero Bremensem Ecclesiam ad instar Beneuentanæ, viginti quatuor annorum spacio absoluit. Episcopos ordinauit viginti, quos ad conuertendas gentes Aquilonares emisit. Hamburgum fecundam matrem gentium appellare solebat. In defuncti ipsius thesauris præter libros, & reliquias Sanctorû nihil inuētum est. Obijt Goslarix, 21. Martij An. 1073. sepultus Bremæ.

---

DE FRIDERICO, EPISCOPO  
MONASTER.

**A**CCEDANT huic duo alij eiusdem ferè temporis Episcopi, Fridericus, Dieterici II. Marchionis Landsbergensis, à quo Duces Saxonix, Electores, & Principes hodierni familię VVitikindeæ recta descēdunt, filius, Episcopus Monasteriēsis, cuius ciuitatis mœnia instaurauit, & ædem S. Mauritij, vbi & sepultus est, condidit:

---

DE GVNTHERO, EPISCOPO  
NAUMBURG.

**E**T alter Guntherus prædicti Friderici fratruelis, Episcopus Naumburgensis, mor-

tuus in Domino Anno 1093. Qui duo inquam Episcopi, cum viuerent, in Catholica ouiculas sibi commissas pauerunt Religionē, quam defuncti posteris quoq; ad animarum suarum salutem voluerunt esse commendatam.

---

DE CONRADO MAGNO, ET  
FILIIS EIVS.

**N**OL o præterire Conradum *Magnum*, qui & *Pius* cognominatus est, Thimonis filium, Dieterici II. supradicti nepotem. Primus iste sui stemmatis à Cæsare Lothario II Marchio Misniæ inuestitus est Ann. 1126. Effecit hoc magna illius virtus: sed quid admiranda eiusdem in sancta Catholica religionē pietas? vt viduus postea inuestiretur inter fratres laicos monachus in cænobio Lauterbergiano, quod ipse absoluit, & liberalissimè dotauit, & in quo mortalem hanc vitam finiuit 5. Febr. An. 1156. Huius Cōradi Pij numerosa proles fuit, sed similiter pia; Primogenitus eius filius Otto Marchio Misniæ, cognomento *Dives* à fortunatis metallorum fodinis appellatus, ob quarū inuentionē Fribergā cōdidit, Lipsiam, & Isenburgū muris cinxit. Sed quod ad propositū nostrū spectat, princeps pius Cænobia fundauit duo, vnum in Thuringia, quod Portam vocant,

alterum Veterem cellam ad Muldam in syluosis vallibus, in qua & sepultus est 18. Februarij, Anno 1189. Secundo-genitus Theodoricus III. Marchio Landsbergæ, & Lusatiaë, fundator Cœnobij Dobralucæ ad Elstruin nigrum, cuius filius æquiuocus Theodoricus, insignis fuit in Ecclesia Dei Prælatus, Episcopus Mersburgensis, qui nomen habet apud scriptores viri pij, & docti. Tertio-genitus est Hermannus, Episcopus Bambergensis. Filiaë quoq; eiusdem Conradi religiosissimæ: Bertha, Abbatissa Gerbsteti: Gertrudis, quæ post obitum mariti, Hermannii Principis Palatini ad Rhenum, Cœnobium S. Theodori Bambergæ extruxit, in quo vidua reliquum vitæ pensum absoluit: Oda Monialis, & post obitum sororis, Abbatissa Gerbsteti, Agnes Abbatissa Quedlinburgi. Vna adhuc, & altera in S. Coniugio diem obierunt.

---

DE HENRICO ILLVSTRI, ET  
FILIO EIVS THEODORICO.

**E**IUSDEM Conradi ex filio primogenito, Ottone, & Theodorico IV. nepote pronepos fuit Henricus, qui ob res gestas *illustris*, ob liberalitatem verò *Munifici* cognomētum accepit, primus suæ familiæ Landgravius Thuringiæ. Is contra Prutenos necdum ad fidem

dem Christianam conuersos felicia gessit  
 pro Catholica Ecclesia & Imperio bella. \* Mo- \* An. 1237.  
 nasterium condidit Cellæ nouæ in Lusatia.  
 Obijt Dresdæ 25. Febr. \* Ann. 1287. Sepultus \* al. 1288.  
 in cænobio Veterocellensi. Trigamus plures d. 25. Febr.  
 post se reliquit filios, sed vnum ex Constan-  
 tia Austriaca, Leopoldi filia, coniuge prima,  
 insignem pietate, Sapientia, & iustitia Prin-  
 cipem, Theodoricum V. vulgo Sapientem  
 dictum. Cōdidit ipse cænobium VVeissen-  
 feldense. Obijt ante patrem \* Anno 1283. \* al. 1282.

EIVSDEM item Conradi Magni, ex Albin. in  
 filio Dedone V. & nepote Conrado pro- Chron.  
 neptis fuit Agnes, quæ Bertholdo IV. Duci Miin. f.  
 Morauix nupta peperit S. Hedvvigem; I- 590.  
 temq; Gertrudem, matrem S. Elisabethæ.

## DE FRIDERICO GRAVI, ET FILIIS EIVS.

PORRO ad hunc Principum illustrio-  
 rum è familia VVitikindea catalogum  
 referendus est quoq; Fridericus, cognomen-  
 to *Gravis*, Landgravius Thuringiæ, Marchio  
 Misniæ, &c. filius Friderici fortis, nepos Al-  
 berti, pronepos prædicti Henrici, Princeps  
 acri ingenio, & fortis in armis: Qui cū Prin-  
 cipes Electores ad instantias summi Pontifi-  
 cis, Clementis VI. vrgerentur ad faciendam  
 noui Regis electionem in locum excommu-  
 nicati Ludouici IV. & iam Carolus IV. à

nonnullis electus esset, dissentientibus alijs, designatus est Rex Romanorum, in principio, ut ait Argentinensis, mensis Iunii in Kans Bavaria, An. scil. 1347. Sed, ad vitandas, quibus imperium cōcutiebatur, turbas, Fridericus, acceptâ certâ pecuniæ summâ Carolo lubens cessit. Obijt biēnio pōst, sepultus in cenobio Veterocel- lēsi. Vxorē habuit Mechtildē filiā Regis Lu- douici Bauari, fæcundam valdè, genitricem scilicet denorum liberorum. Ex quo connu- bio Principes Saxonie ex stirpe VVitikin- dea quotquot hodie Dei gratia supersunt, o- mnes fæliciter oriuntur; ita ut ex antiqua illa sanguinis commixtione mutuus adhuc in præcordijs Amitinorum, vtriusque Do- mus Principum, tanquam \* fratris, & sororis filiorum amor exudet, ac firma hæreat, quan- tum Religio patitur, amicitia. Obijt illa an- no præcedente 1346. d. 2. Iulij, eodē, quo ma- ritus, sepulchro tumulata.

\* Stepha-  
ni cogno-  
mento Fi-  
bulati.

### DE FRIDERICO STRENUO.

**I**GTUR ex hoc fælici coniugio nati, Si- gismundus, Administrator Episcopatus Mersburgensis, & Ludouicus, Antistes Magdeburgēsis, & Halberstadēsis, Catholicâ fidem, & religionem ex professo plantare & propagare intenderunt, Fridericus verò cog- nomento *Strenuus*, qui stemma propagavit, multiplici virtute suâ fuit in maxima apud  
omnes

omnes auctoritate. Carolum IV. Imperato-  
rem in bellis sæpenumerò iuuit: Arces Ec-  
cersbergam, Friburgum, Dornburgū &c. la-  
tronum receptacula euertit. Obijt Alden-  
burgi, d. 26. Maij, Anno. 1380. Sepultus cum  
uxore Catharina, F. Henrici Comitis in Hē-  
neberg, quæ Coburgum cum adiacētibus op-  
pidis, & arcibus ad maritum attulit, in cæno-  
bio Veterocellenfi, tribus relictis filijs; Fride-  
rico, qui stemma propagauit; V Vilhelmo, qui  
fundauit Ecclesiam collegiatam S. Georgij,  
Aldeburgi; & Georgio, qui iustitiæ, & cleri-  
corum Amantis nomen habuit.

DE FRIDERICO BELLICOSO,  
ET FILIIS EIVS.

**P**orro primogenitus iste Fridericus, cog-  
nomento *Bellicosus*, omnē adoleſcentiā suā  
triuuit in castris; & tamē Musarū magnus exti-  
tit Patronus, & ſingularis literatorū Mēcenās.  
Martis itaque & Artis cultor ſtrenuus, qui ex  
ruinis Academiae\* Pragenſis, quā vaſtarūt ſe-  
ditioſi tunc naſcentiū Hæreticorū tumultus,  
fabricauit suā Lipſenſem, atq; ita Catholicæ  
pietati, & Muſis exulātibus nouū aperuit Lip-  
ſiæ domiciliū d. 12. Nou. An. 1409. Contra  
factionem coniuſatorū, qui ſe Stellares no-  
minabant ductu Friderici Burggrauij Nori-  
bergenſis militauit in Francia; cum Conra-  
do ordinis Teutonici Magiſtro, pro nominis

\* Pragenſis  
reſtaurata  
eſt à Ferd.  
I. & Maxi-  
mil. II.  
Impp.  
Academia  
Lipſenſis  
quo, &  
quando e-  
reſta.

Chriſti

Fridericus  
Bellicosus  
primus Sa-  
xonie Dux  
Electoꝝ.

Christi propagatione in Borussia: cum Guilhelmo, Patruo suo, Pragam obsedit in Bohemia. Ipsos Bohemos Sigismundo Imperatori rebelles ad Brixiam superauit, & arcem Carlsstein ab obsidione illorum liberauit. Ob quod fidele præstitum auxilium primus in suo stemmate auitum Saxonie Ducum titulum, qui passim ad alienas familias ab obitu Imperatorum Saxoniorum euagatus erat, ad legitimos hæredes reuocauit, dignitatem quoq; Electoratus titulo suo annexã, ab eodem Imperatore familie sue acquisiuit An. 1423. d. 6. Febr. Naturæ debitum persoluit VVeissenfeldæ d. 4. Ian. An. 1428. Multæ fuerunt huius Principis virtutes, in quibus semper eluxit pietas, & zelus promouendi Catholicam fidem, & pacem. Contra hostes enim hosce maxime duos; Rebelles in Imperio, & Infideles extra Imperium se acerrimum ostendit Aduersarium: Dignus quem posteritatis, prouinciarum, & dignitatis hæredes, progenitorem suum studiosè colant, ac imitentur.

---

### DE GVILHELMO III.

**E**T sicuti Fortes creantur fortibus, & bonis, ita bellicosus hic Fridericus generosos procreauit filios, Fridericum II. cognomento *Placidum*, qui stemma propagauit: Sigismun-



mundum, qui Episcopus fuit Herbipolensis, & administrator Mersburgensis: Guilhel-  
 mum, qui cum magna laude Alberto II. Au-  
 striaco Imperatori militavit contra Bohe-  
 mos, à quo ob res feliciter gestas Ducatum  
 Luce'burgensem in feudum accepit, quem  
 tamen quinquennio post Carolus Audax,  
 Dux Burgundiæ actu occupavit, suoque ære  
 redemit. Anno 1444. Post Ladislai Au-  
 striaci, Regis Bohemiæ, obitum, in dissensio-  
 ne Ordinum, à quibusdam, Silesijs præci-  
 puè, Rex electus, Georgio Podiebracio, ab  
 altera factione electo, ceu Ionathas Davidi,  
 sponte cessit, ac perpetuo fædere cum ipsius  
 familia inito, filiam suam Annam Henrico  
 Georgij Regis filio sponsam collocavit. An-  
 no dehinc salutis nostræ 1461. in Palæsti-  
 nam profectus cum nonaginta & quatuor  
 itineris comitibus, reduxit ex illis sexaginta  
 quatuor equites auratos. E viuis excessit An. \* zum  
 1483. Vinarix in \* cœnobio à se cōdito inhu- Bar-  
 matus, relicto post se nomine *Principis lauda- füsser.*  
*bilis, & egregij Bellatoris.*

---

## DE FRIDERICO II.

**P**ORRO Fridericus II. cognomine *Placi-*  
*dus*, ingenio, & moribus verè mitis, &  
 pacificus, bella, & contentiones, quantum  
 potuit, defūgit: & memorabile est, quod cum  
 aliquan-

O sapiens  
dictum, &  
pium!

\* simile ta-  
mē exem-  
plū refert  
Cuspinia-  
nus de Ec-  
clesia quæ  
est Varadi-  
ni in Un-  
garia per  
Sigismun-  
dum Imp.  
introdu-  
ctum.

aliquando incidisset in litem, & bellum cum  
Friderico, Archiepiscopo Magdeburgensi, &  
per exploratores cognouisset pium Præsulem  
causam commisisse Deo, qui pro ipso pugna-  
ret, fertur dixisse: *Alius insaniat, ut bellum infe-  
rat et, qui confidit se Deum defensorem habitu-  
rum.* Nouenos tulit ex coniuge Margareta  
Austriaca, Friderici III. Imp. sorore liberos,  
è quibus Ernestus, & Albertus soli maturue-  
runt. Nobile par fratrum, quorum vterque  
stemma propagarunt, vterq; coniunctâ opera  
Ecclesiam Cathedralem Misnensem, in qua  
diuinę laudes \* peculiari exēplo noctes dies-  
que decantarentur, mirum in modum exor-  
narunt, ac perfecerunt.

## DE ERNESTO.

**E**RNESTVS in Electorali dignitate suc-  
cessor, Princeps optimus meruit audire  
virtutibus suis, bonitate naturæ, ingenij  
prudentiâ, morum grauitate, quibus mag-  
nam sibi conciliauit Authoritatem, *Pa-  
ter patriæ, & pietatis  
Corona.*

DE FRI-

## DE FRIDERICO III.

**F**ILIVS eius Fridericus III. Princeps E-  
 lector à mentis sagacitate *Sapiens* dictus,  
 Academia\* *V*Vitebergensis fundator, mul-  
 tis etiam virtutibus excelluit, ita vt defun-  
 cto Imperatore Maximiliano I. Austriaco,  
 Principum coelectorum suorum calculo de-  
 signaretur Rex Romanorum, quem hono-  
 rem magnâ tum prudentiâ, tum modestia  
 recusavit, & magno benevolentiae affectu,  
 magnoque consilio in Regem Hispaniarum  
 Carolum V. suffragio suo transtulit. Sed  
 præ lachrymis quid dicam ulterius? Is est,  
 qui in infœlix malignorum horum tempo-  
 rum exordium incidit, quibus authore Mar-  
 tino Lutero, prius professo in ordine S.  
**AUGUSTINI** Monacho, tam multiplex  
 postea religio, & cultus Dei introductus  
 est, primusque ex inclyta Domo Saxoni-  
 ca à tot laudatis maioribus suis defecit, no-  
 uamque doctrinam Patribus incognitam sub  
 specioso Evangelij, à quo *Euangelicos* se  
 appellarunt eius Sectatores, nomine am-  
 plexus est. Hunc Pontifex Leo X. qui tunc  
 Catholicæ Ecclesiæ supremus Pastor præe-  
 rat, tot paternis admonitionibus in auita fi-  
 de Apostolica retinere, & ab ea declinan-  
 tem reuocare studuit, hoc ferè potissimum  
 argu-

\* Acade-  
 mia Wite-  
 bergensis  
 fundata à  
 Friderico  
 III. Pr. Ele-  
 ctore, An.  
 1502. d. 18.  
 Octob. qui  
 S. Lucæ E-  
 uangelistæ  
 sacer est.

argumento à laudatis Maioribus suis ducto, quod in generosis mentibus mirificam solet habere ad mouendum vim, & efficaciam. De quo Pontifice loquens Ioh. Sleidanus, Lutheri assecla, in princ. Historiæ suæ sic ait: *Eodem die (23. Aug. An. 1518. ad Fridericum Saxonie Principem, qui tunc erat Augustæ scribit: Inter alia Saxonie Domus ornamenta proprium hoc illi semper fuisse, quod religionis esset obseruantissima: non esse igitur verisimile, quemquam eius familie sic à suis degenerasse maioribus, vt illum qui de religione Christiana minus benè sentiat, protegere velit, & patrocinio suo iuuare. Item eundem 6. Iulij Anno 1520. ad litteras Friderici, quibus se à labe nouæ assumptæ doctrinæ purgabat, hæc respondisse refert idem Sleidanus: Nimirum hoc ita decere ipsum, eiusque totam familiam, quæ magnum semper honorem Ecclesiæ Romanæ detulerit, quem etiam paulò post aureâ Rosâ singularis beneuolentiæ causâ donauit. Ast bonus Princeps facetijs Lutheri, qui pollebat gratia linguæ, inescatus & deceptus, Iohannem fratrem, Henricum patruelem, eorumque filios, ac nepotes suo exemplo, tanquam fune omnes post se traxit.*

\* \*  
\* \*

DE AL-

---

 DE ALBERTO ARCHIEPIS-  
 COPO, PRINC. ELECT. MOG.
 

---

**R**ELIQUI verò fratres eius Albertus Ar-  
 chiepiscopus Moguntinus, Princeps E-  
 lector; itemq; Ernestus, Archiepiscopus Mag-  
 deburgicus, & Præsul Halberstādēsis, sanctā  
 & Catholicam Religionem ad finem vitę vf-  
 que professi, deprauata ista tempora non at-  
 tigerunt, & sic per misericordiam Dei cum  
 pijsimis Maioribus suis in sancta fide Ca-  
 tholica diem extremum clauferunt.

---

 DE ERNESTO ARCHIEPIS-  
 COPO MAGDEBURG.
 

---

**E**T vt hoc, Serenissime Princeps, addam;  
 Enotandum benè, quod de Ernesto, cuius  
 consilio Fridericus frater Academiam VVi-  
 tebergensem erexit, in opere suo Genealo-  
 gico memorię reliquerūt Hieronymus Hen-  
 ninges, Pastor Luneburgensis, & Elias Reuf-  
 nerus, Historiarū Professor in Academia Ie-  
 nensi Thuringię. *Decessit, inquit, in vera ag-  
 nitione Christi Mediatoris 3 Non. Sext. An. 1513.*  
 Quo inquam anno, nulla fuit in Saxonia, imò  
 tota Germania &c. Christi agnitio alia, quam  
 quæ vera est, Catholica scilicet, Apostolica  
 scil. Romana scil. in qua ipse, & omnes om-

N

ninò

ninò maiores eius discesserunt, in qua vt omnes omninò posteri quoque ad æternam animarum suarum salutem hinc discedant, ex toto corde precor, & exopto.

---

DE ALBERTO ANIMOSO, ET  
FILIIS EIUS.

**T**RANSILIO nunc ad alterum Friderici II. filium, Albertum, tuum, Serenissime Princeps, Abauum, qui ab inuicti animi robore, & rerum, quas pro dignitate Imperij, Patriæq; & suorum prosperitate gessit magnitudine, *Animosus*, ab Innocëtio IIX. Pötifice Romano *Dextra manus Imperij*, & à milite Belgico *Rolandus* est cognominatus. Et quidẽ in titulo à Pontifice attributo multũ sibi frater defunctus Christianus II. cõplacuit, quo etiã honorificè hunc suũ Progenitorem in deductione iuris Saxonici, quoad circuli VVestphalici Prouincias Rhenanas Patriæ meæ nominauit, & citauit. Et verè in eo gloriari potuit. Suã enim ille manu diuersos contra Imperatorem, & Imperium quod tunc temporis valdè periclitabatur, insurgentes hostes fortissimè deuicit; Gallos Belgio exturbauit: Belgium ipsum in periculofissimo rerum statu ex difficillimis bellis ciuilibus explicuit, & pacauit; infrenem Frisiam sub Imperij habenas reduxit; Matthiam Regem Hungariæ in Austria aliquot prælijs contudit, & ad pa-

ad paciscendum iuxta conditiones, quas ipse  
 præscriberet, adegit; Breuiter; nomine, & af-  
 pectu Vngaris, Gallis, Belgis, Frisijs, &c. ter-  
 ribilis, & in consilijs, conatibusque expedi-  
 ta celeritate (rarum in Germanis exem-  
 plum, qui diu tractant, antequam concludunt,  
 diuque minantur, antequam feriunt imò sæ-  
 pe inter feriendū ab ictu abstinent) omnibus  
 admirabilis, clemētiā interim post victorias,  
 etiam hostium testimonio commēdatus. Re-  
 gnum Bohemiæ sibi aliquādo oblatū renuit,  
 forte sua contētus. Pijssimus tandē Princeps,  
 summi Pontificis ore laudatus, & Martis, &  
 Mortis pericula satis expertus, in secūda con-  
 tra Frisios rebelles expeditione prope Emb-  
 dā occubuit d. 12. Septembr. An. 1500. \* Fun-  
 dauit paulō ante mortē Ecclesiā Collegiatā S.  
 Mariæ quæ est Friburgi, consecratā in vigilia  
 Assūptionis à Iohanne V. Episcopo Misnēsi,  
 An. 1480. Reliquit tres filios ætate maturos,  
 Georgium, Henricum, & Fridericum; reli-  
 quos impuberes extinctos.

\* Pet. Al-  
 bin. in  
 Chron.  
 Misn.

DE GEORGIO, TRACTVS  
 LIPSENSIS DOMINO.

**A**C Georgius quidē, historia Sleidani ce-  
 lebris, paternę pietatis, & virtutū æmu-  
 lus, infensissimus fuit Lutheri inimicus, mul-  
 tumq; laborauit pro conseruanda in prouin-  
 cijs Saxonix religione Catholica. Fuit aliās

N 2

etiam

etiam egregius Miles, qui ætate iuuenis à Maximiliano I. Cæsare belli Præfectus, quarto ab obitu parentis anno arma contra Frisones rebelles sæliciter gessit. Hunc ita commendat Reufnerus: *Ditiones suas magna cum iustitiæ, clementiæ, & prudentiæ laude rexit in annum vsque quadragesimum. Post omnium tandem heredum mortem mærore, curis, & ætate confectus, An. 1539. XV. Cal. Maij decessit Dresde, cum magno Pontificiorum dolore.* Et quis huiusmodi Principis obitum non doleret, non lugeret? Henricus verò Georgio fratri defuncto in gubernatione successit, pater Mauritij, qui Caroli V. Cæsaris auctoritate Electoratum, quo Ioh. Fridericus excidit, impetrauit, & Augusti qui magnus semper Sacramentariorum Calvinistarum hostis, fratri Mauritio sine prole mascula defuncto in Electorali dignitate successit. Henricus autem in prima ætate ductum, atque auspiciis patris sui Alberti secutus, egregiæ virtutis specimen edidit in Belgio, & post ætate maturior in sedando tumultu Rustico. Peragrauit etiam cum magno vitæ discrimine Palæstinam, & Gallæciam. Sed fratre Georgio mortuo omnibus viribus cæpit introducere doctrinam Lutheri, quam media nocte Lutherum prius docuit Spiritus tenebrarum; vti ipse tom. 7. pag. 479. edit. V Viteberg & to. 7. Ien. fo' 82. asserit, & eum apertè suo nomine vocat Diabolum



bolum. Res certè horribilis, malignum illum Spiritum audire & sequi explicantem Christi verba, & verborum sensum; quod ipse prolixè sic denarrat, sine pudore vlloue alio respectu. Et hæc sunt ita manifesta, & clara, vt Prædicantium suorum nullus ea negare possit. Ex promisso filerem hoc, nisi idem illi confiterentur, & palàm dicerent.

M. Fridericus Balduinus, Prædicans Lipsensis in suo *\*Hyperaspiste: de se, inquit, scripsisse Lutherum tom. VViteb. 7. fol. 479 & seqq. & Ienensi tom 6. fol. 82 & seqq. se cum Diabolo congressum, seu disputasse, auditaq; approbasse, non negatur. Et rursus: Diabolus innocens est, verum in sua disputatione semper dixit Diabolus, neq; ex se, sed à Spiritu S. cum Beatissimo Patre nostro Luthero locutus est, &c.* Hæc insana, & detestabilis in Deum blasphemia est, qui non instruit seruos suos, quos mittere vult Apostolos, & Doctores ad conuertendum homines à via perditionis ad viam salutis, per organum Diabolum. Ipse enim mendax *\*est, & pater mendacij, neq; ille homines docendo rectè instruere vult, sed destruere; peruertere, non conuvertere; perdere, non saluare. Et ille Nequam, interprete Balduino, à Spiritu S. locutus est? Nec pietas, nec ratio illa credit.*

\* Pag. 92.

\* Job. 8. v.

44.

N 3

DE FRI-

DE FRIDERICO ORDINIS S.  
IOH. MAGISTRO.

CLAVDAT nunc agmen, & coronam maiorum suorum Catholicorum Fridericus, Georgij, & Henrici frater, Alberti Animosi filius, Princeps non solum in Catholica pietate deuotus, sed etiam in ipsa literatura non vulgariter doctus. Adolescens literis operam dedit Senis, vrbe Hetruriæ, in qua Preceptorum suum, fato occumbentem, piè sepeliuit, & ætate maturior electus est Ordinis S. Iohannis in Borussia Magister. Vir adhuc iuuenis emigravit ex hac vita Rochlicij 13. Nouemb. An. 1510. ætatis suæ 36. Misnæ sepultus in Maiorum suorum tumulo, quibuscum nunc regnet in Gloria Christi.

Perlustravi, Serenissime Princeps, quanta potui celeritate celebriores ex Augusta Domino Saxonica oriundos Principes, Reges, & Imperatores, nationis Germanicæ, qui à principio tum conuersionis, tum educationis suæ veram & saluificam fidem Christi amplexi & professi, posteros de Religione Catholica rectè & sincerè informare possunt & certiores reddere sine furo, & fraude, quænam fides grassantibus hoc & quouis tempore erroribus, hominum maleferiatorum, luxuriosorum, rebellium, ad pruritum aurium populi prædicantium, capeffenda sit; cum nõ  
fit nisi

sit nisi vnus Christus, vnus Deus, vna fides, v-  
 na Ecclesia à principio ad finem vsq; mundi <sup>Eph. 4.</sup>  
 constans, & immobilis contra inferi portas  
 firmiter ædificata, benè disposita, optimèque  
 prout decet Domũ Dei ordinata. Non quod  
 cæteri, quos silentio præteriui, aliam sectati  
 fuerint Deum colendi rationẽ, aut religionẽ.  
 Vnã enim eandẽq; in fide omnes ad deligna-  
 tum Fridericum III. vsq; à semitis maiorum  
 suorum primò digressum, iuerunt ad cælos  
 viam, de quorum cęlesti beatitudine nonnul-  
 lorum Sancta Ecclesia nos certiores fecit; de  
 reliquorum verò salute benè sperare iu-  
 bet. Quæ res cum concernat æternam vitam  
 aut mortem, animarumq; salutem vel interi-  
 tum, leuiter ponderari nõ debet, quasi vnus-  
 quisq; sicuti in sensu suo abundare, quod di-  
 citur, ita in fide sua saluari possit, sed altius  
 expendẽda est, & consideranda maturiùs; An  
 scilicet post breuem huius lucis vsuram cum  
 prædecessoribus nostris ire malimus ad infe-  
 ros (quod \*Radbodus, Frisonum Rex infide-  
 lis, cupiebat) an verò cum ijs ad cælum? Et  
 nos Christiani quam velimus ad cælum ire  
 & tenere viam; an aliam? an eam, per quam  
 omnes maiores tui, & prædecessores, S. Héri-  
 cus, pijq; alij inclytę nationis Saxonice Prin-  
 cipes, Reges, & Imperatores eò peruenerunt?  
 Nõ dubitare ego possũ hãc esse certiorẽ, imò  
 dubitare nõ possum, quin ab hac omnis alia,

\* apud Sur.  
 tom. 2. d.  
 20. Martij.

cum nō sit nisi vna ad cælum, ad inferos mille; sit ad cælum incerta, imò certa ad inferos.

Igitur Serenissime Princeps, Clementissime Domine, iterum Te compello per animæ tuæ salutem, cogita, & recogita de summo hoc puncto, quod grauius est, & longè magis arduum, quàm negotium belli Bohemici, Hungarici, Turcici, &c. aut, si fractus illaberetur orbis, quomodo euadere posses eius ruinas. Omnes etiam Consiliarios tuos, viros generosos, nobiles, sapientes, prudentes, & rerum gnaros, rebus sæculi implexos, & occupatos conuoco, inuoco, vt cum Clementissimo Principe suo, & inter se omnium acumine despiciant, ac diiudicent in hac causa, quæ extremè tangit singulos; an non sit tutius, certius; nō dico modò honestius, nō gloriosius, sed salutaris, antiqua premere, & repetere aitorū Saxonix Principum, suorumque maiorum vestigia; illosque ad cælum antegressos sequi, quam deserere, & à tritis illorum semitis quærere diuerticula?

Sint itaq; Serenissime Princeps, tui Maiores Tui Instructores; Tui prædecessores Tui duces, & viæ Indices ad salutem: Et poteris, si libet, ijs demortuis viuos adsciscere præceptores, quorum hæc professio est & vocatio, Patres Religiosos ex eodem ordine, ex quo Lutherus excidit, Sancti scilicet Augustini,

stini, aut etiam ex alijs, S. Dominici vel S. Francisci, qui verbi prædicatione, & vitæ exemp<sup>o</sup> de his omnibus copiosè Te informare, & certiozem reddere possunt: Conferre etiam cum ijsdem Patres Societatis IESU, qui non solùm vitæ honestate, integritate, sanctitate in Clero Christi effulgent, sed etiam sapientiâ, & scientiâ rerum diuinarum & humanarum affluunt, quos docentes audire magnam parit voluptatem, sequi æternam affert Beatitudinem. Fœlix est Regnū, fœlix Prouincia, fœlix Ciuitas, in qua dicti Patres suum fixerunt aut figunt domicilium. Quid enim illorum sunt Collegia, quàm Aulæ Musarum, & Pietatis? Arces & Munimenta Catholicæ fidei aduersus hæreses, & quascunque in religione prauitates? quos idcirco mundus odio habet, & quotquot sunt de mundo, flagitiosi Catholici, superbi schismatici, impij Hæretici, & maximè illi, qui inter hos sunt omnium pessimi, eos oderunt, etiamsi sæpè non nouerunt. Hoc efficit illorum virtus, probitas, pietas, zelus. Experti hoc nouerunt summi terrarum Monarchæ, Reges, & Principes, quid sibi, & suis commo- dent quoad fœlicitatem vitæ huius, & alterius.

Sed compendij, institutiq; nostri ratio non fert, vt huc alios foris inducam, quorum vel fidei professione, vel vitæ exemplo moderni

Saxonix Duces erudiantur de Catholicę Religionis veritate, quam ipsos Patrię Patres, quondam maiores, & Antecessores in familia, sanguinis Principes, Reges, & Imperatores. Maeste igitur, Serenissime Princeps, tanta Maiorum tuorum laude, & virtute propriã, qui à rebellibus Bohemis oblatam coronam & sceptrum, cum proprij Regis iniuria, acceptare noluisti, sed iustè reculasti, fortiter respuisti, in Sancta Catholica fide affecta, & percipe immarcescibilem glorię coronam, quam repromisit Deus diligentibus se, vt finis fidei tuę sit salus animę tuę, tuumque Principatum apud Beatos Maiores tuos in regno Christi æternes. Hic sisto, hic quiesco, orans humillimè & obsecrans Serem. Tuam, ne studium hoc meum alio interpretetur animo, quam à me magno sui amore & honore à patriota Cliuenti susceptum est, Gloriam Dei, Decus Domus Saxonicę, & salutem errantium per hoc promouendi cupido. Et sicubi humano more in historiarum circumstantijs, aut particularitatibus rerum, & personarum ipse erravi, qui error præiudicium, vel offensionem aliquam parere possit, clementissime mihi condonari, & à quocunque alio beneuolè commonstrari peto. Libens retractabo, & corrigam. Laboris mei mercedem non exigo, nec donum exspecto, neque præmium spero, sed quod aliquando

S. Nilus

S. Nilus Ottoni III. Cæsari, cum paratus es- in vita S.  
 set illi dare quodcunque peteret, respondit, Nili.  
 dicens: *Nihil aliud peto ab Imperio præter salu-*  
*tem animæ tuæ, idem & ego peto, spero opto.*  
 Deus misericordiarum pijs annuat votis, vt  
 in exultatione spiritus liceat nobis cum Re-  
 ge Dauide exclamare, & psallere per prouin-  
 cias Saxonix, & Rhenanas inferioris Germa-  
 niæ: *Deus tu conuersus viuificabis nos, & plebs tua* P sal. 82.  
*letabitur in te: Tibi sit Laus, & gloria, pote-* v. 7.  
*stas, & Imperium, nunc & in sæcula, AMEN.*

Omnia ad Gloriam Dei, decus altæ Pro-  
 sapix VVitikinx, omniumq; ab anti-  
 qua hac Saxonum Religione erran-  
 tium conuersionem, & salutem; sub  
 correctione S. Sedis Apostolicæ, pro fæ-  
 licibus noui anni M. DC. XXI.  
 auspicijs dicta, & impressa  
 funto.

F I N I S.

APPRO-

---

APPROBATIO.

**C**ATHOLICAE RELIGIONIS Index  
hic Saxonicus è veterum monu-  
mentis clarè demonstrans anti-  
quos longo ordine Saxoniae Duces, ve-  
ros fuisse S. Romanae Ecclesiae nutritios,  
nihil continet fidei Catholicae contra-  
rium; quare vt plures, quâ gradiendum  
sit viâ, admoneat, typis euulgari potest.  
Coloniae 1621. Calendis Martijs.

*Henr. Francken Sierstorpsius S. Theol. D.*

*Regens Laurent.*

*Librorum Censor.*





ERRATA TYPOGRAPHICA  
sic corrigantur.

Fol. 1. lin. vlt. *quem*. f. 21. lin. 4. *secum*. fol. 25. lin.  
17. *prosperitas*. ibidem numeri marginales transpo-  
siti sunt : ad translationem trium Regum referatur  
annus 1164. d. 23. Iul. ad translationem S. Benno-  
nis, annus 1524. d. 16. Maij. fol. 27. l. 14. *inuisib*. fol.  
29. l. 5. *indigitabo*. fol. 30. l. 16. *canaculo*. f. 34. l. 23.  
Frodoardus. fol. 44. l. 3. Genealogico. fol. 51. lin. 5.  
verbis. fol. 59. l. 10. *quisquam*. fol. 61. l. 1. *Gebehar-*  
*du*. fol. 96. l. 3. *qui*. fol. 101. l. 21. *prædictis*. fol. 104.  
l. 26. *cod* fol. 117. l. 6. post Conradi II. Imp. adda-  
tur *Capellanus*. fol. 134. l. 7. pro seq. legatur præ-  
sente, vel sequente.

PERSONARVM,  
 QVARVM IN HOC LIBEL-  
 lo potissimum mentio fit, breuis


INDICVLVS:

	<b>A</b> lberto Animoso fol.	192
	Alberto Archiepiscopo Bremensi. fol.	197
	Alphonso Castilia Rege f.	115
	Bonifacio Russorum Apostolo & Martyre f.	177
	& seqq.	
	B. Brunone Arch. Colon.	f. 52. & seqq.
	Brunone dicto Gregor. P. P. V. f. 80.	& seqq. & 125
	Brunone Episcopo Augustano fol.	170
	Carolo M.	f. 18
	Conrado Franco Rege Rom.	f. 85
	Conrado III.	f. 95. 96
	Conrado Magno Saxonia Duce,	f. 181
	Ernesto Duce Saxonia El.	f. 188
	Friderico I. Imp.	f. 96. & seqq.
	Friderico II. Imp.	f. 109. & seqq.
De	Friderico Episcopo Monasteriensi.	f. 180
	Friderico Bellicoso.	f. 185
	Friderico Graui Lädgrauio Thuringia	f. 183. 184
	Friderico Placido.	f. 187. 188
	Friderico III. vulgò sapiente f. 11.	& 189. 190. 90
	Friderico Ordinis S. Iohannis Migistro.	f. 196
	Georgio Lipsia Domino.	f. 193
	Gerone, Archiepiscopo Col.	177. & 178
	Gregorio Papa V.	f. 127. & 154. & seqq.
	Gregorio Papa VII.	f. 132
	Gregorio Papa IX.	f. 134. 136
	Gregorio Papa X.	f. 148
	Gunthero Episcopo Naumburgensi.	f. 180
	S. Henrico Imp.	f. 84. 85
	Henrico Aucupe.	f. 23. & seqq.
	Henrico Rixoso.	f. 52

**M**  
**BEL**  
**is**  
 192  
 l. 197  
 115  
 re f. 177  
 & seqq.  
 q. & 125  
 170  
 f. 18  
 f. 85  
 f. 95. 96  
 f. 181  
 f. 188  
 & seqq.  
 & seqq.  
 f. 180  
 f. 185  
 f. 183. 184  
 187. 188  
 .190. 90  
 f. 196  
 f. 193  
 . & 178  
 & seqq.  
 f. 132  
 .134. 136  
 f. 148  
 f. 180  
 f. 84. 85  
 & seqq.  
 f. 51

Henrico III. Rege Rom.	f. 87
Henrico IV.	f. 87. & seqq.
Henrico V.	f. 90. & seqq.
Henrico VI.	f. 99. 100
Henrico Thuringia Landgr. Rege Rom.	f. 111. 112
Henrico illustri Saxonia Duce.	f. 182
Hermanno Lucelburg. Rege Rom.	f. 90
Hermanno Archiepiscopo Colon.	f. 171. & seqq.
Hugone Capeto.	f. 173. & seqq.
Hugone I. Marchione Brandenburg	f. 179. 180
Innocentio Papa III.	f. 130. & seqq.
Innocentio Papa IV. authore septemviralis colle- gij.	f. 140. & seqq.
Lothario II. Rege Rom.	f. 92. & seqq.
Lodouico Bauaro Rege Rom	f. 131. & 151. & seqq.
Lodouico II. Comite Palatino.	f. 139
Ludolpho I. Marchione Thuringia.	f. 170. 171
M. Luthero.	f. 11. & seqq. & 149
S. Mathilda coniuge Henrici Auc.	f. 32. & seqq.
De Matthæo Parisiensi.	f. 140. & seqq.
Origine electionis Regis Romanorū.	f. 81. & seqq.
Ottone Magno Duce Saxonia.	f. 22
Ottone I. siue magno Imp.	f. 34. & seqq.
Ottone II. Imp.	f. 57. & seqq.
Ottone III. Imp.	f. 65. & seqq.
Ottone IV. Imp.	f. 107. & 131
Philippo Rege Rom.	f. 100. & seqq.
Richardo Anglo Rege Rom.	f. 114. 115
Rudolpho Sueno Imp.	f. 89. & 90
Rudolpho Habsburg. Imp.	f. 115. 119
Theophania.	f. 64. 65
V Vilhelmo Archiep. Mog.	f. 55. & seqq.
V Vilhelmo III. Duce Saxonia.	f. 186. 187
V Vitikindo I.	f. 17. & seqq.
V Vitikindi I. prosapia, & posteritate	f. 6. & seqq.
V Vitikindo II.	f. 172.

**E I N I S.**



S A  
 CA  
 CHRISTI  
 SALVTEM A  
 DOMVS SA  
 ges, d  
 GLO  
 In gratiam  
 SERENISSIM  
 cipem, Saxon  
 NEM G  
 PETRO CVTS  
 illustris Collegia  
 sco  
 COLO  
 Sumptibus

